

LIBERTE ET PATRIE
DON FAIT À LA
Bibliothèque Cantonale
et Universitaire
par feu Mr le Professeur
RIVIER
Consul général à Bruxelles
1898

HISTORIA
VITAE ATQVE MERITORVM
CONRADI PEVTINGERI
ICti AVGVSTANI.

POST

IO. GE. LOTTERVM

Nouis curis illustratam, multoque auctiorem

edidit

FRANC. ANTON. VEITH

AVGVSTANVS, Bibliopola.

Accedunt

CONRADI PEVTINGERI

&

Aliorum eius aetatis Eruditorum

EPISTOLAE INEDITAE LI.



Augustae Vindelicorum.

Apud Conr. Henr. Stage. *MDCCLXXXIII.*



PRAEFATIO
FRANCISCI ANTONII VEITH.

Inter eos, qui *Conradi* PEVTINGERI ICti, Viri longe celeberrimi, ornamenti vrbis patriae, *Augustae*, longe praestantissimi, laudes memorauerunt; id, meo iudicio quidem, omnium optime praestitit *Ioannes Georgius* LOTTERVS, itidem *Augustanus*, edita *Lipsiae* anno MDCCXXIX. *Vitae atque Meritorum Conradi* PEVTINGERI *Historia*, quam etiam *Augustanae* Reipublicae *Septemuiris*, & ceteris *Patritii Ordinis Senatoribus* dicauit: in qua, quidquid ad PEVTINGERI res gestas illustrandas attinet, gnauiter sollicitaque cura congessisse videtur *a*), adeo vt

 laudem

a) Post LOTTERVM vitam PEVTINGERI nostri *Iacob.* BRVCKERVS, Ecclesiae Lutherano-

laudem, quam inde retulit industrius Auctor, omnem omnibus modis promeruisse censendus sit. Verum id dolendum magnopere, ea LOTTERO subsidia cuncta non adfuisse, quibus adiutus susceptam *Biographiam* penitus absoluere perficereque potuisset. Sensit hoc oppido acutus Auctor, atque ita probe animaduertit, vt in fine *Praefationis* suae, mox subnectendae, haud dubiis id verbis confiteri neutiquam erubuerit. Hinc factum, vt Vir Clarissimus *Andreas Felix* OEFELIVS, tum aliis nominibus multis, tum maxime editis *Augustae*, anno MDCCLXIII. *Rerum Boicarum Scriptoribus* inclytus, quondam Serenissimo Principi CLEMENTI Bauariae Duci,

no - Euangelicae, Augustanae, Minister vulgauit in Libro: *Ehren - Tempel der deutschen Gelehrsamkeit*, *p.* 45. Sed, dum LOTTERVM, per capita praecipua eundo, summatim exscripsit, parum noui in medium protulit, in eo insuper magnopere hallucinatus, quod PEVTINGERVM Religionem Lutherano - Euangelicam tum consiliis fouisse, tum ipsum amplexum esse, falso asseueret; id quod LOTTERVS affirmare nullibi ausus est; & a vero alienissimum esse, multa per huius VITAE decursum, praeprimis *Cap. I. §. VII. in Notis.* & *Cap. II. §. IX. num. II.* dicenda confirmant. His adde, quod Perillustris *Paulus a* STETTEN *iunior* in Libro: *Geschichte der*

ci, a *secretioribus Epistolis*, , & *Bauaricae* Bibliothecae Praefectus, quem non ante multos annos humanis & litterariae Reipublicae ereptum dolet bonus quisque; cum bello *Bauarico*, post obitum Caesaris *Caroli VI.* orto, exulem aulam secutus *Augustae* ageret: liberumque ad Bibliothecam *Peutingerianam*, quae *Collegii* olim *Societatis Iesu* est, aditum obtinuisset, magnam earum rerum copiam, quibus LOTTERI *Biographia* suppleri perficique posset, corraserit. Quin iuuat, ipsa OEFELII verba ex *Epistola*, anno MDCCLVI. die XXVIII. Ianuarii ad me data, apponere:

Ad argumentum Epistolae tuae venio, quod nobis PEVTINGERVS *facit, municeps*

---

der Augspurgischen Geschlechter, *p.* 189. familiam *Peutingerianam* vniuersam (vno *Ioanne Chrysostomo*, de quo inferius *Cap. I.* §. *VIII. num. VIII.* dicetur, excepto) catholicae Religioni addictissimam fuisse asserat. Post BRVCKERVM memoratus Perillustris *Paulus a* STETTEN *iunior* in Libro: *Lebens-Beschreibungen zur Ervveckung &c. bürgerlicher Tugend*, *Tom. I.* sibi *Nostrum* dilaudandum sumpsit; verum quia eo spectauit maxime, non vt doctos, sed vt bonos ciues formaret; id quod ipse Libri titulus praefert; quae sunt litteraria, minus curauit. Honorifica insuper *Nostri*, ex LOTTERI *Historia* hacce, breuibus desumpta mentio fit in *Musaeo Mazzuchelliano. Venetiis.* 1761. *Tom. I. p.* 252. vbi Nummus, *Nostri* effigiem gerens, exhibetur.

ceps tuus, vir summus, idemque optimus: siue animi, siue ingenii dotibus aestimes. Eius reliquias litterarias excutienti gratulor, probe memor, quam id mihi iucundum atque amoenum fuerit; cum ante annos, aulam exulem secutus, in illud Musarum sacrarium leniendo, quem ex patriae publicis malis conceperam, moerori admitterer. Si eo tempore animum colligendis Rerum Boicarum Scriptoribus adiecissem, poteram haud dubie operae pretium facere; sed ego in longe alia ibam, quorum equidem non poenitet, sed quae tamen ad praesens institutum meum non faciunt. Consueuerat PEVTINGERVS *libris suis, quos plurimos selectissimosque pro illo tempore parauerat, vel in fronte, vel ad calcem, nec raro etiam ad oram subitanea quaedam adscribere, non proletaria illa aut publici saporis, sed selecta & singularia. Subiit animum, oblata occasione peritura haec colligere; & mirabar mecum, olim non factum. Ea, certo ordine disposita,* PEVTINGERIANA *inscribere placuit, Cl.* FORMAEI *exemplo, qui e* DVCATII *libris* DVCATIANA, *pari instituto collecta, publici iuris fecerat. Succreuit Spicilegium hocce meum paulatim in iusti libelli molem. . . . .*
Hucusque OEFELIVS.

Quae

Quae PEVTINGERIANA *b*) cum Vir iste clarissimus vt erat humanitate summa, vltro ad me misisset: tum alia etiam quamplurima essent a me nouiter obseruata, vbi anno MDCCLV. *P. Henrici* ADAM, Viri multo humanissimi, eo tempore *Collegii Augustani Societatis Iesu* Rectoris, permissu ad memoratam *Bibliothecam* aditus mihi patuit; subiit animum sententia, *Historiam Vitae atque Meritorum Conradi* PEVTINGERI a LOTTERO contextam retexendi: quae perperam scripta essent, emendandi: quaeue deessent, supplendi. Hinc non est, quod quisquam miretur, me vtplurimum ipsissimis LOTTERI verbis vti. Prudenti hoc minimeque vituperabili consilio a me factum autumo, duplici potissimum de caussa: tum vt de LOTTERI *Biographia*, facundiae & litterariae eruditionis plenissima, nihil plane, quod suo manere loco posset, intercideret: tum vt praesentis huius *Biographiae* amatores lectoresque beneuoli fastidiosae necessitati eriperentur,

 nouos

b) *Operis* huius adhucdum *anecdoti* ante me mentionem honorificam fecit *Franciscus Christophorus de* SCHEYB in *Peutingeriana Tabula itineraria*, *p.* 33. *in Notis*, vbi eiusdem titulum hunc recenset: PEVTINGERIANA. *Ex librorum marginibus & schedis Bibliothecae, in Collegio PP. Societatis Iesu Augustano superstitis. Anno MDCCLII. mensibus aestiuis collegit F.* OEFELIVS.

nouos faciendi ſumptus in comparanda veteri *Lotteriana*, *Vitae meritorumque Conradi* PEVTINGERI, *Hiſtoria*, quam raram iam, minusque obuiam eſſe haud temere credo. His rationibus, omnino grauibus, motus id maxime curandum mihi duxi, vt ſuam *Lotterianae* operae laudem, quoad eius fieri poſſet, honoremque ſuum ſeruarem, iis ſolum, quae nouiter a me obſeruata fuerant, adiectis atque inſertis: emendatis item, quae emendanda eſſe videbantur.

APPENDICIS loco *Epiſtolas* LI. *anecdotas* (quantum ſcio) *Conradi* PEVTINGERI & aliorum Virorum ea aetate eruditionis laude inſignium: tum ipſius *Conradi* de Republica litteraria bene merita: tum *Auguſtanam* eorum temporum rem litterariam illuſtrantes, ſubiungere placuit. Deſumpſi eas, partem maximam, ex *Codice* quodam *MSSto. Epiſtolari*, ſaepius laudatae *Bibliothecae*, quem in *Appendice* ante ipſas *Epiſtolas* mihi fuſius deſcribendum ſeruo.

Inſtitueram praeterea, *Opus antiquarium* ſeu *Epiſtolam Margaritae* WELSERIAE, vxoris CONRADI noſtri digniſſimae, inter eruditas ſuae aetatis faeminas meritiſſimo iure collocandae, ab vno exemplorum mox dictae Bibliothecae (nam bina ibi extant) deſcriptam ſubnectere; ſed, quia in ea edenda a Viro Clariſſimo *Hieronymo Andrea*

MER-

MERTENS, Philoſophiae Magiſtro, & Gymnaſii Annaeani *Auguſtae* Rectore, praeuentus ſum, quippe qui iſtam *Epiſtolam Auguſtae* *c*) año MDCCLXXVIII. typis exſcribendam curauit, a propoſito abſtinere certe debui.

Suſcipe, Lector! hanc *Bibliothecae* meae *Auguſtanae* particulam aequo animo; ad quam primo loco, & ſeorſim a reliquis, foras edendam eo lubentius animum induxi, quod ſola iuſtam libelli menſuram impleat. Quod ſi conatum hunc meum probari Eruditis, & tam benignam abs iis ſententiam, ac mea DIATRIBE *de Origine & Incrementis Artis typographicae in vrbe Auguſta Vindelica d*) non ſine maxima animi mei voluptate tulit, ferre intellexero: inde ad proſequenda ſtudia mea, & reliquas *de Vita & Scriptis Eruditorum Auguſtanorum Notitias* nec vulgares, nec contemptu (abſit inuidia dicto) omnino dignas, typorum adminiculo publici iuris faciendas magnopere incitabor.

---

c) Titulus ſequens eſt: *Margaritae* VELSERIAE, *Conradi* PEVTINGERI *Coniugis*, *ad* CHRISTOPHORVM *fratrem Epiſtola*, *multa rerum antiquarum cognitione inſignis*. 8. *Sumtu Viduae Klett & Franck*.

d) Praefixi hanc *Annalibus Typographiae Auguſtanae*, *ab eius origine* MCCCCLXVI. *vsque ad annum* MDXXX. a *Georg. Guilielmo* ZAPF *Auguſtae Vindelicorum*. 4° 1778. publicatis.

PRÆ-



PRAEFATIO

IOANN. GEORG. LOTTERI.

Non ignobile prorſus argumentum delegiſſe nobis videmur, beneuole lector, *in quo curatius elaborando otium, quod a conſuetis laboribus quandoque ſupereſt, honeſte, & cum voluptate aliqua traduceremus; quum primam, litteris prodendi praeſentem* DE HISTORIA VITAE ATQVE MERITORVM CONRADI PEVTINGERI Commentarium, *cogitationem ſuſcepimus. Quum enim ille, ſiquis alius, ſuo exemplo vere expreſſerit imaginem, qualem* TITINII CAPITONIS *deſcripſit* PLINIVS, Lib. VIII. Epiſt. XII. Vir eſt optimus, & inter praecipua ſaeculi ornamenta numerandus: colit ſtudia, ſtudioſos amat, fouet, prouehit; multorumque, qui aliqua componunt, portus, ſinus, praemium, omnium exemplum: ipſarum denique litterarum iam ſeneſcentium reductor ac reformator: *& hanc ob rem non ſuae tantum aetatis hominibus celebratiſſimus exſtiterit, ſed etiamnum viuat praeclare geſtorum memoria apud eruditos; dignam certe rem pietate illa in* patriam *deſtinauiſſe exiſtimauimus, qua omnes, qui nomen eius ingenio ac virtute adauxerunt, veneramur atque diligimus,*

gimus,

gimus; *si tanti viri laudes* Academica *quadam* scriptione, *instaurare quodammodo instituissemus. Licet vero minime virium quapiam fiducia satis commode nos illud facturos esse confidamus; impulerunt tamen domestica ciuium clarissimorum exempla, quorum laudabili industria factum est, vt aliquorum ex* Augustanis, *doctrinae virtutisque famam consequutis, facta moresque ac merita singularibus exposita scriptis possideamus; quos inter vero haud exstitit hactenus, qui simili de* PEVTINGERO *commentandi studio duceretur; licet prae aliis meruisse istud in defunctum amoris officium censeri possit atque debeat omnino.*

Derelictam igitur prouinciam honesto consilio occupaturi, postquam, quae passim in doctorum scriptis distributa exstabant Peutingerianae, *tum* vitae fatorumque, *tum* scriptorum *etiam, egregia monumenta, sollerti studio conquisiuissemus; & deprehendissemus facile, superesse forte haud pauca, quae illis addi adhuc possent: adeundos hac de re decenter* Patronos *atque* fautores Augustanos *constituimus, atque exposita consilii ratione, impense rogandos, vt, quae perficiendae qualicumque nostrae operae inseruitura cognouissent, beneuole nobis impertirentur. Quos quidem adeo faciles in vota nostra experti sumus, vt, pro suo, tum rem litterariam iuuandi ornandique vniuersim, tum vero* Augustani *nominis gloriam promouendi studio singulari, transmitti illi certatim curarent praestantissimarum rerum farraginem; quibus vel inde maximum esse debet pretium, quod parum, aut prorsus non omnibus exploratae hactenus exsistant. Illos vero, vti & alios, quorum in nos voluntas atque industria suppetias nobis tulit, quemadmodum, suo singulos loco, cum debita reuerentia adpellabimus, vt cognoscant inde omnes, per quos in hoc ar-*

gumento

gumento profecerimus plurimum ; ita liceat iisdem ipsis, quos partim patronorum indulgentissimorum nomine, cum cura suspicimus, partim fautores atque amicos, colimus, gratias heic, quae tam insigni beneuolentiae debentur, longe maximas agere uniuersim; quod idem, speramus, facient, quicumque voluptate aliqua cognoscendarum rerum capiuntur, quibus, siue res litteraria uniuersa, vel Augustana sigillatim, conlustratur.

Visum autem est duobus praecipue capitibus argumenti summam complecti; ita, vt primo quidem, quae ad ipsam vitae illius cum laude omnium summa transactae historiam, & personam, quam in Republica non sine meritis eximiis sustinuit, proxime spectant, percenseamus; altero vero, quae inter suae aetatis eruditos pro amplificandis scientiarum terminis & litterariae ciuitatis incrementis egit longe plurima, & quibus maxime effecit, vt nominis ipsi aeternitas debeatur, cum cura exponamus. Licet autem nulli dubitemus, futura forsitan esse aliqua, quae, secundo isti praesertim capiti, ad omnimodae perfectionis laudem adhuc desint; noluimus tamen illam ob rem operis diuulgationem diutius differre, sed, intelligentium auctoritatem sequuti, seruare illa posterioribus curis constituimus, vbi, cum animus sit, plena eruditionis, antiquariae maxime atque historicae, PEVTINGERI Opuscula, in vnum corpus conlecta typis aliquando excudenda mandare, emendatam simul praesentem commentationem in manus hominum iterum emittemus. Vale, lector, & ne desint vmquam illis, qui studia colunt, TITINII CAPITONES, ne desint PEVTINGERI, mecum precare.

PRI-



PRIMI CAPITIS DIVISIO ET OIKONOMIA,

QVO

HISTORIA VITAE ATQVE MERITORVM CONRADI PEVTINGERI IN REM PVBLICAM AVGVSTANAM CONTINETVR.

I. Patria, AVGVSTA VINDELICORVM, urbs nobilissima.

II. Maiores, auita nobilitate insignes, a saeculo inde XIII. recensiti: parentes item, annus atque dies natalis.

III. Puerilis educatio, & prodeuntibus annis litterae in Italiae Academiis cultae.

IV. In patriam reducis comparatae antiquariae cognitionis Specimen editum.

V. Αρχιγραμματεος *prouincia; muneris item huius rationes, frequentibus praecipue legationibus, rei publicae caussa susceptis, egregie expletae.*

VI. MAXIMILIANI I. Imperatoris insignis clementia, & consiliarii titulus, quo ipsum cohonestauit.

VII. Vtrumque apud Successorem CAROLVM V. Augustum seruatum; merita simul in patriam nouis accessionibus aucta; honestum tamdem aetate prouecta otium.

VIII. Status domestici ratio; vxor; familia numerosa, patriciae nobilitatis decus consequuta.

IX. Nepotes, &, qui ab illis prognati, Peutingeriae *gentis nomen ad eius usque occasum sustinuerunt.*

X. Exitus ex hac vita beatissimus, & monimentum coniugis ac liberorum pietate positum.

Cum recte illi communi sapientum iudicio censere existimantur, qui egregiam optimi cuius-

que ciuis virtutem atque praestantiam ad eius vrbis, in qua natus altusque est, laudem pertinere statuunt; tum vehementer illi contra errant profecto, qui *patriae* celebritatem ad solidum cuique decus conciliandum apud prudentiores multum facere arbitrantur. Quemadmodum enim ignobili loco editos, praeclare factis nominis sibi perpetuitatem impetravisse nouimus haud paucos; ita etiam illorum ingens maxime est numerus, qui inlustri quidem vrbe prognati, quum nihil genitali solo dignum fecerint vnquam, alienae gloriae inconsulta iactatione ludibrium debeant sagacioribus. Qua ex re fit, vt, CONRADI PEVTINGERI *historiam* commentandi auspicium facturi, nolimus nos quidem laudum ipsius initia a *patria* capere; quam *Augustam Vindelicorum* fuisse compertum est. Licet enim illa inter principes, non *Sueniae* tantum suae, sed *Germaniae* vniuersae, vrbes plurimis longe ornamentis sit conspicua, quibus singulae aliae florent singulis: antiquissimae, puta, originis gloria; commerciorum, ad vtrosque pridem extremos Indos prouectorum fama; incolarum, qua animi, qua corporis, praestantia; artificum cultissimorum celebritate; & quae alia sunt, naturae partem, partem fortunae, dona: haec vniversa tamen ita comparata sunt, vt propriae in *nostro* laudis materiam praebere haud possint; quin contra potius ipsa de PEVTINGERO *Augusta patria* tanquam praecipuo, inter quamplures alios, *a*) suo ornamento debeat gloriari.

a) Enim vero, non adeo tenuis est virorum doctrina atque virtute maxime insignium numerus, quos *Augusta* tum ipsa protulit, tum in sinum suum delatos gratiose fouit. Illorum nomina post ANTONIVM REISERVM in *indice MStorum biblioth. Aug.* pag. 119. sed extemporali

porali saltim, quod solet, industria laudavit IOANNES ANDREAS QVENSTEDIVS, *in dialogo de patriis inlustrium virorum* pag. 154. 156. magis vero curate clarissimus IOANNES CHRISTOPHORVS VENDLERVS in dissertatione secunda *de meritis reipublicae Augustanae in rem litterariam*, *Ienae* anno MDCCXIII. edita; qui tamen ipse index accessionibus admodum copiosis exornari posset. Vtrorumque passim in vulgatis *biographorum* commentariis memoria conseruata est; ut vero singulari studio ipsorum *historia* percenseretur, paucis adhucdum contigit. Hos inter meritis elogiis posteritati commendatos nouimus GEORGIVM HIERONYMVM VELSCHIVM, cuius *memoria*, siue *historia vitae*, ab inlustri viro LVCA SCHROECKIO *Augustae Vindelicorum* an. MDCLXXVIII. 4. edita est; MARCVM VELSERVM, cuius *vitam Norimbergensi Operum* ipsius editioni an. MDCLXXXII. fol. praemisit CHRISTOPHORVS ARNOLDVS; MATTH. FRIDERICVM BECKIVM, cuius *Memoriam* Academica dissertatione *Vitebergae* an. MDCCIII. habita *ab obliuione vindicauit* ESAIAS VEIDIVS; & ELIAM EHINGERVM, de cuius *vita & scriptis* luculentus exstat clarissimi IACOBI BRVCKERI commentarius, *Aug. Vind.* an. MDCCXXIII. 8. impressus; quibus nuper demum accessit ACHILLES PIRMINIVS GASSARVS, ab inlustri viro, IOANNE BVRCARDO MENCKENIO, in *praefatione primi tomi Scriptorum Germanicorum*, & laudato mox IACOBO BRVCKERO, singulari commentatione in X. *Tomo amoenitatum litterariarum* eruditissimi SCHELHORNII primo loco exstante, commendatus. Conf. clar. BRVCKERI *Ehrentempel der deutschen Gelehrsamkeit*, & ejus quoque *Miscellanea historiae philosophicae, litterariae, criticae*, in quibus multa clarorum eruditione virorum Augustanorum extant elogia. Similiter *Paul. a STETTEN junior* plures *Augustanos* praeclare factis insignes dilaudavit in opere: *Lebensbeschreibungen zur Erweckung &c. &c. bürgerlicher Tugend* 8°. 2. vol. 1778. Plura dabit *Bibliotheca* mea *Augustana*.

II

Hanc vero vrbem primus fortunarum sedem delegisse sibi videtur ex *maioribus* nostri CONRA-

DVS a PEVTINGAV, qui, anno MCCLXXXVIII. ex *Baioaria* domicilium suum *Augustam* transtulit, illius ciuitatis mox iura adeptus; quod idem tribus post annis ipsi sanguine coniuncti VOLCMARVS & HERMANNVS a PEVTINGAV fecisse perhibentur. Prisca illi atque nobili in primis prouinciae istius prosapia oriundi, *gentilitium* nomen a pago *Peuttingau* ipsis proprio, ac haud procul a *Schongauio* ad *Licum* fluuium sito, tulerunt; quod, postquam *Augustam* concessissent, paulisper fuit immutatum, atque illi *Peutingeri* vel *Peutingaweri* adpellati *b*) sunt. De VOLCMARI & HERMANNI posteris quid factum sit, haud liquet; eorumque vetustate memoria abiit. Illud saltim constanti *annalium* MStorum fide traditur, exstitisse olim circa eadem tempora in templo D. Mariae Virgini dicato *epitaphium*, *Peutingerorum* nomine inscriptum. Hic, antequam ulterius pergam, afferenda duxi ea, quae in Tomo I. *Scriptorum Rerum Boicarum* a Cl. Viro *Andr. Fel.* OEFELIO editorum, *p.* 737. habentur ex Libello *primariarum precum & alimoniarum a Ludouico Caesare collatarum anno Christi* MCCCXXII. Ibi legere est: *Item Decano & Capitulo in Bischoffcell pro Ulrico, filio Peutingerii de Augusta, pro canonicatu & praebenda.* Verum cuius *Ulricus* iste fuerit, quis in tantis tenebris divinabit? Qui vero, CONRADO patre editi ad CONRADVM usque *nostrum* serie non interrupta *Peutingerianam* stirpem sustinuerunt, singulari hic *tabula* sistuntur, cuius copia *Jo. Georg.* LOTTERO benevole facta est ab *inlustribus viris*, MARCO CHRISTOPHORO VELSERO, *Septemuiro* reipubl. *Aug.* splendidissimo, & VOLFGANGO IACOBO SVLTZERO *Senatore* amplissimo; a viris itidem ge-

; vxor 1) | 1) *Magdalena*, vxor *Melchioris Stunzii*, A. 1494.
a Ilsungia;
tha Schleich-

2) *Sigismundus*,
Georgius,
vxor *Ioannis* | *Martha*, vxor *Alexandri Schuarzii*.

CONR
PEVTI
nitate
donatu
xor *N.*
An. | (**)CONRADVS IV. PEVTINGER, I.V.D. Consil. Caesar. vxor MARGARITA VELSERIA, An. 1498.
Anna, vxor *Leonis Rauensburgeri*.

VOLC
HERM
PEVTI
1291.
ſtanae Teutonici
conſeq
illorum
plane
VLRIC *haimb*, An. 1425.
TINGE
de quo

(*) H

(**) udioſiſſimus, hanc reddit rationem, Chuonradum A Hoc OEFELIVS in PEVTINGERIANIS ſuis notau

generosis MARCO CHRISTOPHORO KOCH a GAILENBACH, *Senatore* grauissimo, & IOANNE CHRISTOPHORO LANGENMANTELIO *Dicasterii Adsessore* spectatissimo; qui, vti singuli tum meritis in *patriam* rem singularibus quisque fulgebant, tum illam ornandi quocumque modo studio incredibili ducti sunt; ita ipsorum beneficio debet vnice, quisquis *rerum Augustanarum* cupidus *Peutingerianae gentis* praesenti notitia delectatur. Mire hanc *tabulam* breve schema confirmat, manu ipsius CONRADI *nostri*, quibusdam *Ciceronis* operibus anno 1485. *Venetiis* impressis praescriptum partim rubris partim nigris elementis *c*) Est autem tale:

Hofmair Peutingere *Moerlin Peutinger* Relingerin
Peutingerin *Welser* Morlerin *Beitinger* Frickingerin
Rem
Peutingerin *Hoechstetter* Peutingerin.

Ceterum mercaturam plurimos exercuisse, aut rei publicae admotos eo tempore, quo imperii summa penes tribunos plebis fuerat, *patriae* commodis consuluisse, itidem constat. Constat vero simul, falsos esse ADAMVM *d*) atque FREHERVM, *e*) qui VLRICVM *aurifabrum*, CONRADI II. *filium*, *patrem nostri* adlegant, loco quodam CRVSII *f*) decepti; qui instituti ab eodem VLRICO in *Suburbio Augustano Iacobaeo* balnei calidi, (*das Peutinger - bad* vulgo dicti) ex *annalibus* GASSARI meminit, & ipsum *Peutingerianae familiae* inter *patricias* iam dum, quum haec scriberet CRVSIVS, cooptatae *parentem* conlaudauit; instituta etiam cum GEORGIO SIGISMVNDO SELDIO, Imperatoris CAROLI V. Cancellario,

itidem GEORGIO SELDIO, *aurifice Augustano*, *patre* edito, comparatione. Immo vero patet *genitore* gauisum esse nostrum CONRADO, IOANNIS filio, & BARBARA matre, GEORGII FRICKINGERI, honesti viri, & ELISABETHÆ PELLICOFERIÆ, filia, quae enixa illum fuerat a. d. xv. Octobr. an. CIↃCCCCLXV. magna suae olim virtutis *patriae* daturum exempla.

b) Exstat huius *cognominationis* commemorabilis admodum ratio in *scripto* quodam adhuc *anecdoto* CLEM. IAEGERI, *Augustani* quondam Senatus ministri, & patriarum rerum intelligentissimi viri, an. M D LVIIII. hoc titulo: *Eine Schutz- und Verantvvorthung des vralt adelichen Geschlechts der Herren Rehlinger, ietzt in Augspurg, betreffend* rel. exarato, in quo, quum demonstrandum sibi IAEGERVS sumsisset, REHLINGEROS, patricii ordinis viros, licet haud amplius *de Rehlingen* nuncupentur, nihilo minus tamen vere nobili & antiqua stirpe editos fuisse, exemplo haec PEVTINGERORVM comprobaturus, addit: *Solcher gestalt mecht auch den herren Peutinger beschehen, vvelches Geschlecht laut E. E. Raths Burgerbiechlein die von Peutingavv erstlich genant gevvesen, denn also vvirdt in dem gemeldten biechlein beschriben funden:* „ A. 1288. wirt Conratt von Peutingaw Burger, und thu- „ et das Iurament. Volgends an. 1291. Volckmar vnd „ Hermann von Peutingaw „ *vvie sy dan auch ein Grabschrifft haben, vvelche auf der finsteren Grett gevvesen, vvelch die Jarzal an.* 1282. *mit sich bringt. Wie kemen den die guten herren, so man ietzt die Peutinger nennt, darzu, das man sy ihres alten herkommens berauben und sagen vvelt, das sy von anderen, und nit diesen Geschlecht, so sich von* PEVTTINGAW *genant vnd geschrieben, herkommen, noch ihren anfang genommen haben; so doch nichts gevvisers ist, denn das sy von disem Geschlecht herkommen und ehelich erboren sein.* Communicata haec *Lottero* fuerunt beneuolentia generosi viri MARCI CHR. KOCHII *a Gailenbach*, quem modo itidem appellauimus.

c) Ita *Peutingeriana* V. CL. OEFELII.

d) MELCHIOR ADAMI, in *vitis ICtorum.* pag. 76.
e) PAVL. FREHERVS, in *theatro eruditorum.* part. II. Sect. IV. p. 823. s.
f) MARTIN. CRVSIVS, *annalium Sueuicorum.* Dodecad. III. Lib. VI. p. 347.

III

Puerili aetate mature ad honeſtatem omnem formari illum oportet, qui, adoleſcentibus annis, ampliſſimos ſolertis culturae fructus edere exſpectatur. Licet igitur nullis teſtibus adiuti referre poſſimus, quid noſter tunc egerit, quum *pueritiae* adhuc illum ratio intra parentum contubernium g) contineret; quippe non ſolent plerumque adeo adtendi, nedum poſteris ſtudioſe mandari, quae pueri deſignamus: conſentaneum tamen admodum eſt, ſi ex vitae poſtea actae inſtituto iudicium fiat, in matris ſinu ipſum indulgentiaque educatum, omni honeſtarum artium virtutisque cultu gnauiter fuiſſe imbutum. Hanc autem parentum curam quum bona integraque natura, & erectum CONRADI ingenium iuuaret, vbi de eligendo vitae genere ſtatuendum iam erat, explorata iuuenis egregia indole, deliberato conſilio optimis ſtudiis conſectandis iidem deſtinarunt; quae, vti extra patriae limen adoleſcentior factus proferret, in *Italiam* miſſus eſt, communem & praecipuam illa aetate ſtudiorum, praeter alias Europae cultioris prouincias ſedem atque magiſtram, & in quam ad capiendam ingenii liberalioris culturam nemo non concedere ſolebat. Floruerat enim illa tum maxime, ſi alias vmquam, doctiſſimorum hominum clariſſimis exemplis; iis potiſſimum, qui manſuetiores litteras in priſtinum atque ſimile priſci aeui decus

reſtituere omni opera connitebantur. Silent, qui de induſtria ante nos *Conradi vitam* commentari adgreſſi ſunt, HENR. PANTALEON, *h*) MELCHIOR ADAMVS, PAVLLVS FREHERVS, *i*) ANTONIVS TEISSIERIVS, *k*) GEORG. SCHVBARTVS, *l*) LVDOVICVS MORERYVS, *m*) & IOANNES CHRISTOPH. VENDLERVS, *n*) quae praecipue Italicae regionis loca ſtudiorum cauſſa acceſſerit, quosue magiſtros ſectandos ſibi propoſuerit? *Lotterus* vero proprio, eodemque duplici, ipſius teſtimonio edoctus monet *Pataui*-*um o*) atque *Romam* ante alia Gymnaſia ſuae diſciplinae alumnum PEVTINGERVM aliquot annis complexa fuiſſe: et illic quidem, quamuis per omnes artes, quas vſui olim atque praeſidio, quin ornamento quoque, futuras ſibi praeuiderat, alacrem animum circumtuliſſet; legali tamen maxime, ex parentum voluntate, ſcientiae operam dediſſe *p*); heic vero, POMPONIO LAETO doctore *q*) vſus, homine *Romanae antiquitatis* ad ſuperſtitionem vsque ſtudioſiſſimo, tantam ex praeceptoris caritate huius generis cognitionis amorem concepiſſe, vt per integram poſt haec vitam, quidquid a publicis grauioribusque negotiis vacuum datum fuerat temporis, in illa, neque ſine poſteritatis aliquo fructu, excolenda contriuerit.

Et Patavium quidem ante alias omnes civitates a parentibus *Noſtrum* miſſum fuiſſe, ſatis conſtare videtur; ibi humanitatis ſtudiis *r*) a *Matthaeo* COLLATIO imbutus eſt, ut ipſemet teſtatur in Catalogo Bibliothecae ſuae, vbi de *Matthaeo* COLLATIO haec habet: *ſcripſit inter alia de Fine Rhetorices. Hic fuit primus praeceptor me*-

us

us Patavii in studiis humanitatis. Id aliquanto ante annum 1482. tempore factum fuisse, ea declarant, quae ad oram *Volaterani* sui ipse adscripsit : *Cum Bonaventura a Sixto IV. in catalogumSanctorum* (fuit is annus 1482.) *referretur*, *fui tunc scholaris Patavii*, Iuris, ni fallor, civilis; quod clarius exprimit in Opere ad *Wolfgangum Anemoecium* de Vocibus *Vespertilio*, & *Vespillo* scripto, ubi haec leguntur: *Commemorabam quoque me Patauii tercio supra octuagesimum & quadringentesimum salutis anno, cum Iuri ciuili operam darem &c.* Quibus vero Magistris *Pataui* usus sit, ipse hinc inde designauit; Hi fuerunt HERMOLAVS BARBARVS *s*) IOANNES BAPTISTA ROSELLVS *t*) IASON MAYNVS *u*) AVGVSTINVS BALBVS *x*) PETRVS MARSVS *y*) PAVLVS de CASTRO, ALEXANDER de NEVO *z*) BAPTISTA a BLASIO *a*) IOANNES CAMPEGIVS *b*) PETRVS & PETRVCCIVS BAGAROTTI *c*) IOANNES IACOBVS CANIS *d*) Pátauio *Bononiam* abiit, ibique PHILIPPO BEROALDO operam dedit *e*) sed & *Florentiam* discendi caussa se contulit. Harum rerum luculentissimum testimonium ipse nobis reliquit in opere ad *Anemoecium* supra laudato : *Annis deinde sequentibus*, ait, *cum Bononiae tum Florentiae Ioannem Picum Mirandulanum*, *Angelum Politianum*, *& Philippum Beroaldum vidi*, *& ut erant non solum eruditi*, *verum etiam humanitate & benevolentia praediti*, *ac ad amicitiam ineundam contrahendamque faciles,aditu saepius ab ipsis habito disputationes eorum de litteratura*, *philosophia*, *& politioribus scientiis audivi &c.* Romae vero, praeter *Pomponium* LAETVM, *Petrum* MARSVM *f*) quem antea PATAVII, iterum audiuit. Inibi Innocentium VIII. summum Pontifi-

cem, & Alexandrum VI. tum Cardinalem adhuc, sese allocutum fuisse, ad *Platinam* suum ipse adnotavit.

g) Patris cura atque institutionibus haud diu frui licuit *Nostro*; quippe quo mature orbatum CONRADVM fuisse, ea comprobant, quae in subsequentibus *Notis* de *Hermolao Barbaro* & *Curatorum imperio* (cui subfuit *Noster* studiis *Patauii* vacans) afferuntur.

h) PANTALEON in *Prosopographia heroum atque virorum Germaniae inlustrium, part.* III. *p.* 29.

i) ADAMI atque FREHERVS locis modo citatis.

k) TEISSIERIVS *Eloges des hommes sçauants de Mr. de Thou auec des additions, tom. I. p.* 14.

l) SCHVBARTVS in praefatione, editioni Ienensi *sermonum conuiualium* PEVTINGERI, de qua secundo capite amplius dicetur, praemissa.

m) MORERYVS *le grand Dictionnaire historique, tom. V. p.* 869. editionis postremae *Parisiensis*. Auctores item *Lexici germanici uniuersalis* & *Eruditorum*.

n) WENDLERVS supra laudata dissertatione, *Cap. II.* §. *I. p.* 45.

o) Extat inter MSta PEVTINGERI, de quorum fatis uberius secundo loco narrabimus, *liber* aliquis *adnotationum*, in cuius ipse fronte notauit propria manu CONRADVS, quod inceperit illum scribere tunc Scholasticus Iuris *Patauii*, an. MCCCCLXXXVI. ceterum meruisset adeo locum noster inter inlustres Gymnasii *Patauini* ciues, quorum vitas altero *historiae Gymnasii Patauini* tomo, *Venetiis* MDCCXXVI. fol. eleganter descripsit V.C. NICOL. Comnenus PAPADOPOLI, Professor Patauinus primarius. Eiusdem cum *Papadopolio* culpae affinis est FACCIOLATIVS, qui in *Fastis Gymnasii Patauini* anno 1757. a se editis ne verbulo quidem de *Nostro* meminit.

p) Quanto ardore in iuris civilis studium incubuerit, ex eo patet, quod anno 1484. in villam *Aprozolo* diuertens, prima Septembris *in Lecturam Christophori Porchi super I. II. & III. Institut. cum Addit. Iasonis Mayni, Papiae, per Iulianum de Zerbo.* 1483. *V. Id. Oct.* excusam, Titulorum indicem adiecit. Similem indiculum Constitu-

tionum

tionum Feudalium ad *Iacobi de Aluarottis Patauini Opus super Usus Feudorum. fol. mai. Venetiis.* 1477. excusum, anno 1486. 22. Mart. adposuit, adiecto voto:

Dii frugi seruate virum, seruate libellos!

Praeterea quanta contentione hisce immineret, prodidit verbis *Baldi* exemplari adscriptis: *Quoties discere non erubesco; famesco, micas de ore prudentum cadentes rumino.* Ita testantur *Andr. Fel.* OEFELII *Peutingeriana.*

q) POMPONIVM LAETVM, qui vltra triginta annos humaniores artes *Romae* miro cum plausu docuit, anno tandem MCCCCXCV. vita functus (quod erudite contra dissentientes plerosque demonstrauit doctissimus DE LA MONNOYE, in *Diss. de Pomponio Laeto* gallica, tomo secundo librorum ADRIANI BAILLET, *Iugements des scauans rel* inscriptorum *pag.* 233. 243. editionis Paris. MDCCXXII. 4. vulgatae, inserta) ipse praeceptorem suum adpellat CONRADVS in *sermonibus conuiualibus;* vbi simul ipsius sententiam, quasi Itali prae Germanis imprimendi artem multis ante saeculis calluissent, candide confutat. Vnde constat proximis fere ante obitum POMPONII annis ipsius institutione atque amicitia *nostrum* gauisum esse.

r) Ita docet *Andr. Felix* OEFELIVS in *Peutingerianis* suis, ex quibus sequens, de praeceptoribus *Nostri* per Italiam, notitia omnis desumpta est.

s) *Hermolao Barbaro*, cum iuri ciuilii *Patauii* studeret, operam dedisse se anno 1483. in laudato *Opere ad Anemoecium* testatur; de Eodem ad *Lib.* 3. *c.* 1. *fol.* 57. *Genialium dierum Alexandri ab Alexandro. Paris.* 1532. haec annotauit Noster: *Hermolaum illum Barbarum, Patritium Venetum singularis probitatis & maximae eruditionis, Patauii, dum iuri ciuili operam daremus, vidimus: & parum abfuit, quin secum, cum ad Caesarem Maximilianum ab Illustriss. Senatu Legatus designatus fuerat (ita enim me admonuit) in Germaniam rediissem; sed adhuc sub Curatorum imperio eram, Patauii remansi.*

t) De *I. B. Rosello* hoc in *Indice MSSto Iurisconsultorum* habet *Noster*: *Fuit praeceptor meus, & ordinarius in iure ciuili Patauii de anno Domini* 1483. *&* 1484.

u) *Ias. Maynum* in mox citato *Indice* sic commendat: *Ias. Maynus Medialanensis, praeceptor meus in Gymnasio*

Pata-

Patauino, in lectione iuris ciuilis matutina. Insuper ad *Praefationem commentarii in I. & II. partem Codicis* a memorato *Mayno* confecti, & anno 1519. 26. Aug. a *Iac. Mareschall, Lugduni*, excusi adposuit *Noster* sequentia: *Ea praefatio habita est a Mayno ad discipulos suos Paduae anno* 1486. 19. *Oct. Ego Chuonradus Peutinger Augustanus I. V. Doctor, anno & die, de quibus hic, unus ex auditoribus praeceptoris nostri D. Ias. Mayni Patauini praesens fui.*

x) De *August. Balbo* haec *Noster* ad Edit. *Operum* quorundam *Ciceronis*, *Venetiis*, 1481. impressorum, in fine adscripsit; *August. Balbus Patauinus mihi Patauii interpretatus est M. T. Ciceronis de Officiis, per menses V. finemque imposuit lectioni die VII. Iulii, Ao. salutis* MIDLXXXIII.

y) Eosdem *Ciceronis* libros anno 1484. a *Petro Marso* sibi *Patauii* explanatos esse, ipse *Peutingerus* testatur in *Officiis Ciceronis*, a memorato *Marso* editis.

z) *Paulum de Castro* & *Alexandrum de Nevo* se *Patauii* vidisse & audiuisse, ipse testatum reliquit; uti monent *Andr. Fel.* OEFELII *Peutingeriana.*

a) *Baptistae a S. Blasio* sese operam ibidem dedisse, docet *Noster* in *Catalogo MSSto de claris Legum Interpretibus.*

b) Idem fere de *Ioanne Campegio* monet. Ita *Andr. Fel.* OEFELII *Peutingeriana.*

c) *Andr. Fel.* OEFELII *Peutingeriana* habent: „ Ad vocem *Bagarottus* ita *Peutingerus* ait „ *Ego Chuonradus Patauii habui duos praeceptores huius nominis, an vero huius familiae, me latet, scilicet* Petrum a Bagarotte *in canonico, &* Petruccium *in ciuili iure.*

d) *Hunc senem admodum pro paeceptore habuimus in lectione serotina iuris canonici*, scribit *Noster* in *Tractatu de claris Iurisconsultis*, teste *Andr. Fel.* OEFELIO in *Peutingerianis* suis.

e) Ita *Andr. Fel.* OEFELIVS in *Peutingerianis.*

f) Ita mox laudatus OEFELIVS *l. c.* qui & *Caium Pontium* Siculum quendam ante memoratis Magistris *Nostri* accenset; sed omisit *Noster* indicare, vbi eum audiuit.

IV

IV

Tot tantorumque virorum praeceptionibus formatus, & academicae vitae rationibus ſapienter ita inſtitutis, non more multorum, qui aurea illius libertate in laſciuiam conuerſa, ſegniter animum optimis ſtudiis adplicant, ac titulum & inſcitiam referunt in patriam, *Auguſtam* rediit *Noſter*; at AGRICOLAE, apud *Tacitum c.* 5. *com.* 3. *in Vita Iulii Agricolae*, exemplo *noſcere doctos*, *noſci doctis*, *diſcere a peritis*, *ſequi optimos*, cynoſuram ſibi ſtudiorum conſtituens, illud conſequutus eſt, ut ab omnibus, ſiue artium ſiue iuris doctrinae, ſtudiis abunde inſtructus & *Doctoris in utroque iure* nomen ac inſignia cum publica laude adeptus, patrios lares reuiſeret. Iſtud ante annum 1488. aut certe ipſo anno 1488. factum eſſe, ea ſatis declarant, quae *Noſter* ad *Epiſtolam Petri Schoti Argentinenſ. Patritii I. V. Doctoris ad M. Vitum Moeler de Memmingen ex Argentina prid. Kal. Iunii* 1488. de captiuitate *Maximiliani* I. apud Brugenſes, ſcriptam, adiecit: *Ego tunc Aquisgrani primus eram, qui liberationem regis, a nuntio delatam, intellexi, moxque Cancellario ſignificaui, qui e lecto ſurgens Caeſarem Fridericum de ea certiorem fecit.* Certe anno 1488. 16. Mai. Maximilianum I. e cuſtodia dimiſſum fuiſſe, FVGGERVS in Libro: *Oeſterreichiſcher Ehrenſpiegel*, tradit.

Auguſtae autem dum commoraretur *Noſter*, factum eſt non multo poſt, ut occaſionem forte nanciſceretur, ſpecimen *Notitiae* ſuae *antiquariae* inſigne in publicos uſus edendi. Scilicet ab longo inde tempore in templo *D. Vdalrico* ſacro ſeruaban-

uabantur oſſa *D. Xymperti*, venerandi olim Ecclesiae Auguſtanae antiſtitis, in tumba quadam ſaxea: Huic tumbae, veluti mos erat antiquitus, inſcriptae legebantur ſolennes litterae D.M. quas, cum *Diui Monumentum*, non quidem omnino inepte, at tamen minus recte interpretari conſueuiſſent rei antiquariae indoctiores, errore monſtrato PEVTINGERVS, *Diis Manibus* legendum docens, occaſionem dedit, vt ſublato pridie Kal. Decembr. 1491. ex templo iſto lapide, *S. Xymperti* cineres ſacri in aereo ſarcophago conderentur g), quae ipſae ſacrae exuuiae cum anno ſequenti feria II. Paſchae non ſine mira pompa translatae ſunt, *Noſter* ei ſolennitati, qua teſtis, interſuit; vti docet *Inſtrumentum publicum* a *Friderico*, epiſcopo Auguſtano conditum, a *Bernardo* PEZIO, *Tom. II. p. III. Theſauri Anecdotorum, p.* 447. 451. publicatum.

g) Referunt hoc GASSARVS in *Annal. Augſburg.* ad hunc annum, inter *Scriptores Menckenianos*, *t.* 1. *p.* 1703. & ex eodem CRVSIVS *Annal. Sueuic. Dodec. III. l.* 9. *p.* 495. penes quos fides eſto.

V

Non poterat ſic latere diu noſtri virtus, quin optimi cuiusuis in patria oculos atque animum in ſe conuerteret; ſplendidior mox futura, vbi aequos ſui aeſtimatores indepta fuiſſet. Etenim anno circiter MCCCCXCIII. conſcripti reipublicae *Auguſtanae* patres, perſpecto ciuis ſui ingenio, agendis rebus publicisque negotiis expediundis apto, *Scribae h)* ipſi *ciuitatis* honeſtiſſimam prouinciam impoſuerunt; quae non niſi impenſe doctis, atque eloquentiae in primis laude florentibus

bus viris mandari consueuit. Hac ille auctus atque ornatus, nullam tum de magistratu, tum uero de ciuibus bene merendi occasionem temere praetermisit. Praefuit hoc ipso tempore rerum in imperio summae *diuus* MAXIMILIANVS I. princeps in tantum celebrandus, in quantum AVGVSTI virtutes vel mente possunt concipi. Hic, quod publicae vtilitatis ratio postularet, *comitia* instituebat admodum frequentia; quorum autem nullum fere celebratum est, cui non *Senatus populique Augustani* nomine interesse iuberetur PEVTINGERVS. Diligentissimus patriae rerum scriptor GASSARVS, ad singulos *Annalium* suorum annos curate singula memoriae prodidit *comitia*, atque simul quae partes ibi fuerint *nostri*, indicauit. Liceat inde per summa quasi capita eundo, quae ad huius argumenti rationes pertinere videbuntur, transferre; quod partim illud institutum exigat, partim vero quam multiplicia & quanta, pro patriae commodis, negotia solus ille tunc sustinuerit, luculenter inde possit cognosci: qua simul occasione illa sedulo commemorabuntur, vbi in priuatis etiam caussis ad variorum Principum aulas *Orator* missus, muneris sui partes omnino expleuit. Scilicet A. MCCCCLXXXVI. ad *comitia Lindauiae* habita legatus abiit, *i*) ubi Heluetii ad sustinenda communia imperii, quibus se subtraxerant, onera adhortati, ac statuta pro confirmando Camerae imperialis tribunali nouiter erecto, condita fuerunt. Anno 1497. secundo *Wormatiensi* Conuentui Regio sub Maximiliano interfuit, quod patet *ex* IOANNIS de PLATEA *super tribus libris Iustiniani codicis lecturis ibidem emptis k*). Biennio post, Septembri mense, comite IOANNE LANGENMANTELIO, vrbis *Consule*,

comi-

comitiis Eslingae denuo frequentatis interfuit, in quibus, *Sueuici*, quod tum vocabant, *federis* leges de communi sociorum voluntate renouabantur. *l*) Retulit concilii huius *acta* in Commentarios noster, *Augustae*, vbi rediisset, typis clam mandatos, *cuius tamen*, quod GASSARVS addit, *libelli copia nemini, nisi summis sociorum magistratibus, facta fuit.* Ineunte fere anno MDI. cum ANTON. BACHO, *Senatore*, *Heidelbergam* missus est, ad exsequias MARGARITAE principis, *Palatini Electoris coniugis*, reipublicae nomine concelebrandas. *m*) Sequenti anno fere medio quum MAXIMILIANVS imperator in ipsa vrbe *Augusta Camerale iudicium* instituerent, noster *Fiscalis*, quem vocant, titulo ipsi *Caesari* adfuit, & ad Hispanorum Venetaeque reipublicae legatos verba fecit. *n*) Sub auspicium anni MDV. legationis socio, GEORGIO VETTERO, *senatore*, sententiam *Caesaris*, *Oeniponte* tunc commorantis, pro magistratu rogauit, de supplicio facinorosis quibusdam impuberibus inferendo, a quo municipali *Augustanarum legum* codice aetate minores absoluerentur. *o*) Biennio elapso quum communi *senatus Augustani* voluntate leges aliquae emendatae, aliae sublatae, & nouae quaedam ex praesentis status vsu conditae fuissent, ad VII. diem mensis Martii hae ciuibus, PEVTINGERO interprete, solemniter publicatae fuerunt. *p*) Alia anno MDXIII. legatio ad Caesarem *Nostro* destinata fuit, de qua ipse in haec verba scribit in *Epistola ad Mich. Hummelbergium* (Vide *Appendicem* huic *Vitae* subnexam *n. XV.*) *Designatus sum ad Caesarem pro Confoederatis meis Orator; sed an ire velim, ex animi sententia nondum constitui: quod iter longum, atque non satis tutum.*

Quem-

Quemadmodum autem in incerto eſt , an hanc legationem *Noſter* obierit : ita etiam dubium manet , vtrum *Rei publicae* , an vero *litterariae* potius cauſſa illa obeunda fuiſſet. Scrupulum iniicit animo vocula : *meis* , qua (puto) uſus *Noſter* non fuiſſet , ſi negotium publicum tractandum fuiſſet. Anno MDXVII. *Monachium* caeſarea auctoritate delegatus abiit *q*) ad lites , quae inter ciuitatem atque uicinos *Bauaros* ſuper *Lici* fluuii ripis interceſſerant maxime infeſtae , componendas. Caeterum PEVTINGERVM *noſtrum Aquisgrani* anno 1488. ſubſtitiſſe , quibus de cauſis latet , *ſuperiore paragrapho* monui. *Viennam* quoque ſiue ablegatum , ſiue ſua ſponte profectum eſſe, ex iis conſtat, quae de lapide antiquo : *Ioui Serapidi ſacrum* , inſcripto , ibi a ſe viſo memoravit. *r*) *Romam* etiam a ſenatu patrio negotiorum quorundam conficiendorum gratia miſſum fuiſſe , tradit *Clemens* IAEGER. *s*)

h) Paſſim in *Annal.* GASSARI uocatur Ἀρχιγραμματευσ, & *p.* 1795. *ſcriniorum magiſter* ; ab aliis *Reipublicae a ſecretis* , *a conſiliis* &c.

i) GASSARVS ad h. a. *p.* 1721. CRVSIVS. *p.* 3. *l.* 9. *p.* 307. CAROL. STENGELIVS *Comment. Rer. Auguſt.* *p.* 2. *c.* 62. *p.* 251.

k) Haec *Andr. Fel.* OEFELIVS in *Peutingerianis.*

l) GASSARVS *p.* 1724. Ceterum de hoc *foedere* confer SLEIDANVM *de Statu Religionis, l.* 4. ſub finem: HORTLEDERVM *vom deutſchen Krieg* , *l.* 3. *c.* 4. *p.* 638 : *Io. Henr.* MAIVM in *Notis* ad Orationem *de Vita Io. Reuchlini. p.* 2-8 : denique *Georg. Iacob.* MELLINVM in erudita *Diſſertatione de foedere ſueuico* , *vulgo von der Geſellſchaft des S. Georgen Schildes* , *Ienae.* 1696. habita.

m) *Gaſſarus* , *p.* 1728.

n) *Idem* , *p.* 1731. CRVSIVS, *p.* 3. *l.* 9. *p.* 250. STENGELIVS , *l.* 2. *c.* 62. *n.* 7. *p.* 252.

o) GASSARVS , *p.* 1735.

p) *Idem* , *p.* 1744. 1747. 175[illegible]



q) GASSARVS *p.* 1758. Ceterumde induftria *Engelbert* WERLICHII a nobis omiffa eft mentio, cuius *Augfpurgifche Chronica*, *Francofurti*. 1595. *fol.* edita, quum nil aliud fit, quam *Annalium* GASSARI, atque VELSERI, fed liberior, translatio; fufficere exiftimauimus fi lectores ad ipfos GASSARI fontes, cuiuis iam poftquam typis uulgati in manus hominum exierunt, facili opera adeundos ablegaremus.

r) Hoc *Andr. Felix* OEFELIVS in *Pentingerianis* fuis annotauit.

s) In Opere anecdoto, fuperius iam laudato: *Ein Schutz - und Verantvvortung des uralt- adelichen Gefchlecht der Herren Rehlinger* &c. ubi fic fcribit: *Es vvurd auch der Venden* (Patritii olim erant Auguftani) *Wappen zu Rom befunden . . . und hat folche Epitaphia der hochgelehrte H. Doctor Conrad Peutinger, als feine Ehrvvürden in einen edlen Raths Gefchäften zu Rom gevvefen, felbft gefehen.*

VI

Haec atque plura alia in *patriam* officia, in quibus obeundis integre atque ftrenue verfatus fuit, & quae omnia *t)* enumerare nihil adtinet; quin carum ipfum fenatui, ciuibus vero maxime reddiderint venerabilem, dubium plane nullum fupereft. Maius interim, atque hoc ipfo publico fauore longe inluftrius, accefferat tam rarae in noftro virtutis ornamentum. Scilicet quum MAXIMILIANVS AVGVSTVS fubinde *Auguftam*, fuam vrbem, illo tempore inuiferet, tum loci amoenitate, tum ciuium fide impenfe delectatus; faepius PEVTINGERO *Imperatorem* adeundi, atque ipfum *reipublicae* falutandi nomine, locus fuit. Contigit ex hac re, vt propius principi adloquio frequentiori cognitus, mox, ingenii atque doctrinae, & *antiquitatis* maxime *hiftoriarumque ftudii* exquifitioris commendatione arctiffimo confuetudinis nexu coniunctus fieret. Qua tanti *principis* amicitia atque gratia, quae maior effe vix pof-



possit, quomodo vsus sit, quum *secundo capite* magis exposite referre constitutum habeamus; illud saltim iam heic addimus, *Caesarem* optimum, vt, quo sibi loco PEVTINGERI virtus & spectata esset rerum prudentia, publico quodam argumento demonstraret, splendido *Consiliarii* sui titulo ipsum cohonestauisse *u*); *nostrum* contra AVGVSTI in se voluntatem non seruasse solum constanter, sed auxisse etiam maximo opere, tum illibata in ipsum fide, tum consulendi atque agendi dexteritate, donec illo sub anni MDXIX. auspicia mortalium numero erepto, tanti *Caesaris* amissione iacturam faceret longe grauissimam. Certe apud *Maximilianum* Imperatorem fauore maximo valuisse *Nostrum*, patet insuper ex iis, quae ille *Lampridio* suo, in *Alexandro Seuero* ad ea verba adscripsit: *Quid est, cur nihil petis? An me tibi vis fieri debitorem? Pete, ne Priuatus de me queraris.* „ Verbum scilicet Maximiliani Caesaris ad me factum! *x*) „

t) Vide *P. Corbin.* KHAMM *Hierarch. August. p.* 3. *regul. p.* 118. *Pauli a* STETTEN *senioris Historie der Stadt Augspurg, Tom. I. p.* 296. Quaedam alia officia patriae a *Nostro*, pro muneris sui ratione, praestita recenset *Chronicon MSS. Augustanum ab anno* 1457. *in annum* 1586. extans in Bibliotheca *FF. Veithiorum*, Augustae; quae fusius enarrare breuitatis caussa supersedeo.

u) Quo praecipue anno inlustri hocce *ἀξιώματι* auctus *noster* fuerit, licet monumentorum fide destitutis definire haud liceat; hoc tamen ex *diplomate* aliquo *Imperatoris* ipsis Martii Kalendis anni MDXI. *Friburgi* illi dato, & de quo infra dicendi commodior locus est, patet, hoc iam ante memoratum tempus factum fuisse. Consule, si lubet, *C. P. Hoynck van* PAPPENDRECHT *Analecta belgica, Tom. II. p.* 1. *p.* 216. 217. Ceterum iucunde obseruare nobis licuit singularem *nostri* modestiam, qua ductus nullibi, siue in *librorum* abs se editorum *titulis*, siue in *epistolis ad amicos* exaratis hunc *Consiliarii* titu-

lum ad pompam ipse nomini suo adscripsit, quod tamen de *doctoris in vtroque iure* insignibus ita fecit diligenter, vt numquam omiserit. Iuuat vero transscribere huc locum aliquem *Chronici* cuiusdam *Augustani* adhuc *inediti*, cuius *Auctorem* *ἀνωνυμον* *Senatorii* quemdam ordinis virum arbitrantur, admodum insignem, & amplissimas *nostri* laudes complexum; qui simul heic posita egregie confirmat. Communicauit illum *Lottero* vir clarissimus *Iacobus* BRVCKERVS, primum apud Kaufburenses, postea autem apud Augustanos Ecclesiae Lutherano-euangelicae Minister; atque illius, quem is possedit, *Codicis* tomo I. p. 242. haec quidem leguntur: *Darauf der Vest und hochgelahrt D. Peutinger, beyder Rechten doctor, vvelcher mit sein Selbstlob und grossen Nutz gemeiner Stadt Augspurg* 28. *Iahr geschvvorner Stadt-Canzlar gevvesen, ia durch seine getrevve und vertraute Verdienst und Erfahrenheit dahin kommen, dass er bey seiner Zeit nicht allein von allen Churfürsten, vvann die etvvas besonders geheim-oder vertrautes haben handeln vvollen, Ihn zu ihren Schreiber gebraucht haben, sondern auch bey dem Hochloeblichen Kayser Maximilian hochloeblichster Gedaechtnuss in solchem Ansehen gevvesen, dass Sein Kais. Maj. so die hie gevvesen, vvenig berathschlagt, darum er nicht zuvor Wissen gehabt haett. Welches nicht allein dieser Stadt Augspurg, sondern auch andern Staenden des Reichs hoechst furtraeglich gevvesen. Vnd vber diss alles ist dieser Peutinger aller Antiquiteten vnd historien gantz geubt vnd geflissen gevvesen, dass menniglichen ab seiner loeblichen Erfahrenheit ein besonders Gefallen getragen, vnd desshalb hochberumbt vvorden. Wie dann die gantz Schaar aller neuen Scribenten noch heutiges tages von ihm zeugen. Ich hab auch mehrmalen von ihm selbsten gehoert, dass er Sechs Erzfürsten des Oesterreichischen Gebluts in rechter Succession, als Friderici, Maximiliani, Philippi, Caroli, Ferdinandi vnd nachmalen Philippi erlebet hat, vnd dass er auch dieses Oesterreichischen Geschlechts vierer Roemischer Kaiser vnd Koenig, als Friderici III. Max. I. Carol V. vnd Ferdin. I. Rhat und Diener gevvesen.* Inter imperii proceres serenissimum praecipue *Saxoniae principem Electorem* FRIDERICVM doctrina atque consilio PEVTINGERI vsum fuisse, atque litteras saepius cum ipso commutauisse, ex *nostri* abunde patet *epistolis* ad CONR. MVCIANVM atque GEORGIVM SPALATINVM missis; insigni itidem quodam loco in-

lustris

lustris SECKENDORFFII in Comment. *de Lutheranismo*, lib. I. §. XCII. p. 151. vbi tamen per errorem CONRADVS PIVS, *nostri* filius, adpellatus est, cui CLAVDIO PIO nomen fuit.

x) Ita OEFELIVS in *Peutingerianis.*

VII

Compensata haec interim ex parte videri poterat nostro successoris MAXIMILIANI, CAROLI quippe V. *Augusti* beneuolentia, qui *Consiliarii* praelustre nomen vt retineret, clementer iussit, postquam ad illum vna cum GEORGIO LANGENMANTELIO *Consule*, *Brugas*, nobilissimam Flandriae vrbem, missus a. d. VII. Kal. Aug. A. MDXX. culta *oratione*, de qua plura dicendi locus occurret infra, tutelam imperii Germanici felicissima successione in ipsum translatam debita religione gratulatus, demissum simul *reipublicae* obsequium illi detulisset, atque de confirmato *Augustanae vrbi* capitalis iudicii priuilegio gratias persoluisset. *) Neque minori fere gratia apud CAROLVM valuisse se ostendit PEVTINGERVS, quum in Comitiis proximo abhinc anno *Vormatiae* habitis hoc ipsius maxime precibus dedisset *Caesar*, vt non tantum antiqua *Augustanis* publicae rei statuta stabiliret, sed nouas etiam, easdemque admodum praeclaras, immunitates, interque has, monetas cudendi facultatem primus Imperatorum impertiret. *y*) Postrema denique *patriae* officia in solemnibus istiusmodi imperii conuentibus praestitit anno MDXXX. quum decantatissima illa toto terrarum orbe *comitia Augustae* agerentur. His etenim a. d. XIX. Octobris ad finem perductis, postquam, vt fit, *decretum* illud publice vulgatum fuisset, quo continebatur, in quid potissimum Imperii proceres plurima suffragia contulissent, atque idem decre-

cretum seueriori aliqua clausula obsignatum nonnullis ex illorum parte videretur, qui *Protestantium* titulo insigniebantur; factum est, vt *Augustani* Senatus nomine PEVTINGERVS atque *Consul* HIERONYMVS IMHOF, in consilii eiusdem societatem venientibus rerum publicarum *Vlmensis*, *Francofurtensis* atque *Sueuohallensis* nunciis, denuo ad *Caesarem* ablegarentur, dicti *epiphonematis* abolitionem impetraturi, aut saltim deliberandi spatium petituri, quod etiam concessum fuit. z) Neque vero post illud tempus praeterea aliquas in simili negotio ipsius partes fuisse compertum est; quin sexagesimum tum quintum aetatis annum supergressum, honestae se *quieti* tradidisse, &, quod PLINIVS ait, a) postquam *prima vitae tempora & media patriae impertiisset, extrema sibi atque tranquillo otio, vt ipsae leges de maiore LX. annis monent, reddidisse*, credibile est. Praeter senium, quo *Noster* laborabat, hanc insuper ei caussam, cur se publicorum negotiorum administrationi subduxerit, extitisse IACOB. BRVCKERVS b) autumat; quod *faederis Smalcaldici* societatem, ad quam contrahendam ciuitas patria inclinabat, cum pluribus aliis acutius videntibus & iustiore rem trutina pendentibus approbare nollet.

*) GASSARVS pag. 1766. Refert idem CASPAR HEDIO *auctor* Παραλειπομενων *rerum memorabilium ad* CONRAD. a LICHTENAV, *abbatis Vrspergensis*, *Chronicum* fol. 349. edition. *Argentinensis* MDCIX.

y) GASSARVS. pag. 1767. CRVSIVS part. III. lib. X. p. 569. STENGELIVS lib. II. cap. LXV. p. 265. *Vormatiae* dum degeret, inter illos etiam fuit PEVTINGERVS, qui LVTHERO παλινῳδιαν suaderent, teste eodem GASSARO, atque SECKENDORFIO comment. *de Lutheranismo* lib. I. §. XXVI. p. 155.

z) GASSARVS pag. 1789.

a) PLINIVS lib. IV. *epist.* XXIII.

b) In Lib: *Ehrentempel der deutschen Gelehrsamkeit*, *p.* 47.

VIII

Neque vero vel ſic *patriae* ſuae commodis deeſſe cœpit ; ſenectute quippe *poſteris* neutiquam deſtituta gauiſus, quibus pronum ad honores iter, & audita latius nomina, relinqueret, & qui, quod ipſe *pater* illis in *patriam* pietatis atque meritorum exemplum praetuliſſet, & ipſi naſciturae ex ſe poſteritati praeferrent. Immo vero in hoc quoque boni ciuis officio functus eſt, quod fœcunditate *vxoris* frui voluit. Fuit illa MARGARITA VELSERIA, *c*) ANTONIO VELSERO, *Praefecto Memmingenſi*, & CATHARINA VOEHLINIA, parentibus a. d. XVIII. Martii A. MCCCCLXXXI. edita, ſingularis exempli atque virtutis femina ; quae, praeter ea quod praecipuam ex illuſtrium natalium, & auitae VELSERORVM gloriae, fortuna commendationem poſſediſſet, virtutes etiam ex plurimis ſui ſexus atque aetatis ſumtas conlegit atque miſcuit ; latinas inſuper litteras eleganter docta. hanc ad XII. Kal. Decemb. anni MCCCCLXXXXVIII. virginem ſibi deſponſatam ad VI. Kal. Ianuarii ſequentis anni domum duxit ; *d*) hac ipſa re illud conſequutus, vt ex more ciuitatis in *patricios minorum gentilium* (*Mehrere Geſellſchafter*) adſciſceretur. Fortunatum iſtud ex omni parte *coniugium* fuiſſe, atque mira concordia & per mutuam caritatem vtrique cultum, tum VELSERIAE mores probatiſſimi, tum plura alia inſigni ſunt argumento ; *numeroſa* praecipue *ſoboles*, qua in ſubſidium atque ſolatium ſimul auctum legitur par iſtud nobiliſſimum. Exhibemus illam praeſenti *tabula ſecunda*, quam itidem eorumdem, quos ſupra adpellauimus, *patronorum* bene-

neficio *Lotterus* accepit, hic ea iam ſaltim ad *ſingulorum* lectiſſimae illius prolis *nomina* addituri, quae litteris de illis prodita inuenire potuimus; atque digna adeo reputamus, quorum ad poſteros memoria iucunde perferatur.

I. IVLIANA, primigenia CONRADI filia, ipſa *matre* teſte, in *epiſtola latina*, a clar. vir. MERTENSIO in lucem prolata, de qua infra, vbi *Coniugis Scriptorum indicem* daturi ſumus, magis expoſite dicemus. Iucundum eſt quod de hac puella *annales* referunt. *e*) Scilicet a teneris illam vnguiculis *latinis litteris* a parentibus probe inſtitutam ita fuiſſe, vt quarto aetatulae anno nondum expleto, quum A. MDIV. MAXIMILIANVS AVGVSTVS *Auguſtam* februario menſe veniſſet, ſequenti illum *latina adclamatione* excipere potuerit:

Vrbs Auguſta Vindelicorum. Sacratiſſime Caeſar. unde michi origo eſt. Diuo Auguſto olim dedicata. atque ab eius priuigno Decimo Druſo Tib. Neronis & Liuiae Druſillae Fil. reſtituta. a̱ te nunc Optimo Sacri Ro. Imperii Moderatore mirum in modum aucta atque amplificata eſt. Bonum Fauſtum que Maieſtati Domui que Tuae. Sic enim nos perpetuam felicitatem & loeta huic rei publicae praecari aeſtimamus. Senatus ergo Maieſtatem tuam. conſenciens cum Populo Auguſtenſi conſalutat Patrem Patriae.

M. T. *Obſeruandiſſima Iuliana Dixi.*

Clementiſſime ab *Imperatore* exceptam fuiſſe compertum habemus, ſimulque haud leue indicium inde capimus animi ipſius in puellae parentem indulgentiſſimi; qui, quum ſequenti mox anno *Romanae Vetuſtatis fragmenta in Auguſta*

ABVLAM II. *CONRADI*

, 24.

I. C . . . nc *Christophorum*, cum *Christophoro Auditore Ro-*
ad . . . dit. Haud dubie hic *Noster* est ille Christopho-
les . . . n 1580. *Inscriptis* Academiae *Ingolstadiensis* ac-
em *Academiae*, *Tom. II. p.* 58.

II. C
ter . . . AVDIVS PIVS, qui ad annum 1580. in albo
M . . . e *Ingolstadiensis* inueniuntur *l. c. p.* 58.
ma
A . . . VS, de quo videsis *inferius* §. *IX. sub finem*
H
!.
. . . aeculo XVII. ferme medio vixit, reique medi-
III. . . . ius *Practicam medic m* cum *Georg. Hieronymi*
A . . . *ctionib. &c.* 4o *Vlmae.* 1676. extare, monuit Cl.
. . . *Biblioth. Script. Medicorum p. III. pag.* 494.

IV.
M . . . *ner* Coenobita San-Vdalricanus Augustae, sae-
tes . . . *gicorum* iuxta ac *Heraldicorum* Cultor eximius
P. . . . n *Dissertatione isagogica* ad *Tomum I. Thesauri A-*
. . . erito iure collaudatus) in *Stemmatographia Gen-*
V. C . . . *ustanarum MSSta* in fol. (non in 4to vti perpe-
ess . . . hos Liberos *Conradi V. Duumuiri Augustani* re-
&
nu
ra

m . . . r Augusta- ve . . . Remboldin. *pa* . . . Rechlinge- qu	Marcus Peutinger.
	Elisabetha, *Rehlingerin.*
	Christophorus Peutinger, Auditor Rotae Romanae.
VI.	Conradus Peutinger † caelebs.
	Iuliana, Monialis ad S. Catharinam.
	Elisabetha, vxor Ioann. Rudolph. Schad I. V. D.
	Maria, vxor Ioann. Leonardi Rehlinger.

STEMDI POSTEROS EXHI-

rcus ; vxor *Elizabetha Rehlingera*, A. 1636. die XIV. Ianuarii.

Ignatius Desiderius, Decanus Eluangensis, ob. 1718. in hoc stirps PEVTINGERORVM defecit.

istophorus, Auditor Rotae Romanae.

ria, vxor Io.Leonhard. Rehlinger 1636. die XIV. anuarii *vid. Io. Schellenbergii Hochzeitregister*

CONRAD PEVTING I. V. D. C *Caes.* & *Rei Aug.* *Ar grammateus* xor MAR RITA VEI RIA, An. 1

aliis die

Io. Chrysostomus, qui iuuenis decessit. *V. infra* §. *VIII. n. VIII.*

gu,
ca.
pu
ftu
tu
M
D'
me
th
SI
xi
qu
Sc
lis
tu
R]

n
o
f
c
fi
a
h
co
n
h
l
fi
l
fi
n
n
n

gusta Vindelicorum reperta vulgaret, ad illorum calcem *oratiunculam* istam hoc titulo: *Acclamatio publica ad Inuictum Caes. Maximilianum P. F. Augustum Iulianae Peutingerin Puellae Augustensis nactae tunc Annos. III. M. X. Dies XXIV.* subiunxit. Memorat alicubi *f*) cel. vir IACOBVS BVRCARDVS, vidisse se aliquando Norimbergae *fragmentorum*, quae diximus, exemplar, in bibliotheca excellentissimi viri GODOFREDI THOMASII seruatum, cui sequentia ignota manus adpinxisset: *quum haec orasset puella, & Imperator, quodnam munus peteret, interrogaret, respondit: Schencke mir eine hübsche Tocken. Innocens & puerilis responsio.* Ceterum IVLIANAM, *morte immatura conreptam infantem obiisse*, itidem MARGARITAE matris *epistola* commonstrat.

II. CONSTANTIAE nomen secundae fuit nostri filiae, diserto VLRICI HVTTENI calamo *omnium, quae Augustae tunc fuerunt, puellarum & forma & moribus praestantissimae* g) elogio condecoratae, quod lauream illam coronam, qua ipsum *Caesar* vna cum Poetae titulo cohonestauisset, adornauerit tam adcurate contexueritque. Rei huius historia amplior *secundo* commentationis *capite* describetur. Hoc interim tantum addimus, quamuis existimarit PETR. BAELIVS, *h*) HVTTENVM, qui nec auersatus fuisset molliorem sexum, & singulari simul Poeticae artis facultate floruisset, CONSTANTIAM non facile adeo plane indictam Musis suis abire passurum fuisse, quin plurima in ipsius laudem epigrammata conderet: nihil tamen istius generis hactenus a nobis deprehensum fuisse. Ceterum illa non ita multo post, anno quippe MDXXV. *Mel-*

 chiori

chiori SOITERO *de Vindach* (*mit dem Pfeil* cognominato) *I. V. Doctori* & *Equiti* nupſiſſe legitur. De reliquo CONSTANTIAM *Iacobus* SPIEGELIVS *Seleſtadienſis* in ſuis *Scholiis* ad *Richardi* BARTHOLINI *de Bello norico* , *Libr XII. i*) inter alias eruditis fæminis recentioris aeui annumerat, & grandiloquae vetuſtati opponi eandem poſſe affirmat. Diem ſupremum A. MDXLVI. obiiſſe, tradit Apographum *maius* Operis anecdoti : SCHELLENBERGER *Hochzeit - Regiſter k*).

III. DE CATHARINA nihil compertum plane eſt , praeterquam an. MDXXVII. matrimonii legibus iunctam fuiſſe HIERONYMO SCHLEICHERO.

IV. FELICITATIS in *tabularum genitalium* exemplis , quae quidem *Lottero* fuerunt communicata , nulla omnino facta eſt mentio. Interim reperimus illam quarto loco a *matre* in *epiſtola* adlegata conlocari ; vnde coniecturam facimus, infantem adhuc obiiſſe, atque ob hanc rem omiſſam. Hanc *Noſtri* filiam *Michael* HVMMELBERGIVS in *Epiſtola anno* 1512. *Kal. Iun.* ſcripta *l*) cum aliis *Noſtri* Liberis ſalutat.

V. CLAVDIVS PIVS inter maſculos primus, patriaeque virtutis ac doctrinae ex aſſe haeres, maiori cum cura nobis dicendus eſt. Natus is eſt anno MDIX. IV. Kal. Nouembr. & *Claudius*, ex peculiari parentis in iſtum Sanctum deuotione nominatus *m*). Bonis litteris ab ineunte adoleſcentia eruditus , ita profecit , vt eundem *Michael* HVMMELBERGIVS non ſolum miſſo epiſtolio , in *Appendice* huius *Vitae* apponendo , honorare ; ſed etiam in *Epiſtola* ad parentem optimum

mum *anno* 1522. *prid. Kal. Oct.* data , *ſatis &* *eleganter & erudite pro aetatula ſua ſcribere* , *&* *ſpem de ſe praebere maximam, quod in magnum creſcat virum &c.* teſtari voluerit. Anno MDXXVI. 27. Auguſti *Aurelianum* animi liberalibus artibus excolendi cauſſa , ut coniectura eſt , abiit. *n*) Ex Gallia in Italiam , vt credibile eſt , profectus ibi a *Ludouico Cato* , qui in Vniuerſitate *Ferrarienſi* docuit , iuris vtriusque lauream (Vide *C.P. Hoynck van* PAPPENDRECHT *Analecta belgica* , *Tom. II. P. I. p.* 52. haud dubie anno MDXXXII.) accepit. Subin in patriam redux , & *Syndici* apud Auguſtanos prouincia decoratus , vxore quoque *Lucia Laugingeria* perquam opulentae dotis faemina (Vide mox citatum *van* PAPPENDRECHT *l. c. p.* 176. *in Notis*) ad diem IX. April. anno MDXXXIV. auctus *o*) biennio elapſo , poſtquam nomine Reipublicae *faederis Smalcaldici* ſocietatem iniuiſſet , *Francofurtum* in eum finem profectus , teſte Perilluſtr. *Paulo a* STETTEN in Libro : *Hiſtorie der Stadt Augſpurg* , *Tom. I. p.* 340. cum *Ioachimo Pappenheimio* , *Ludouico Baumbachio* , atque aliis , ſicuti in Conuentu Francofordienſi priori anno habito decretum fuerat , ad *Carolum V.* Caeſarem in Italiam , tranquillitatem Proteſtantibus publicam deprecandi cauſſa miſſus , re optime geſta in patriam reuertit *p*) mox inſequenti anno *Iudicii matrimonialis Adſeſſor* eligendus. *q*) Anno poſthaec MDXLIII. primum *Norimbergenſibus* comitiis Reipublicae cauſſa interfuit , mox ad Caeſarem legatus iuit. *r*) *Spirenſibus* praeterea anno MDXLIV. & *Wormatienſibus* anno MDXLV. habitis comitiis adſtitit *s*); quemadmodum etiam anno MDXLVII. *Vlmae* apud Caeſarem communitatis Auguſtanae partes

ora-

orator egit, veniam propter *Smalcaldici faederis* ſocietatem, cuius complices per aliquod tempus fuerant Auguſtani, impetraturus *t*). Orbis metropolim *Romam* etiam ad *Ottonem de Waldpurg* Cardinalem atque Epiſcopum Auguſtanum legatus abiit. Sicuti autem his in negotiis patri ſimillimus extitit, ac ſua patriae officia probauit, ita etiam ipſius exemplum in colendis optimis ſtudiis omnino expreſſit. Praeter enim quod plurimis ſuae aetatis eruditis, vt SLEIDANO *u*) & *Viglio ab Aytta* ZVICHEMO *x*), atque inter hos ERASMO maxime atque BEATO RHENANO familiaris fuerit; vel haec duo argumento eſſe poſſunt non inficiando, quantum rei cauſſa litterariae cupiuerit, dum *Ioannem* CORNARIVM *y*) Medicum Zuiccauienſem ita commendaret ſenatui Auguſtano, vt hic dedicationem operum *Hippocratis*, latine a *Cornario* conuerſorum, anni MDXLVI. menſe Martio, centum Coronatorum ſolarium munere ampliſſimo compenſaret: GASSARVM vero ſub idem fere tempus *Annalium Auguſtenſium* laborioſum opus molientem, quocunque poterat modo, adiuuaret *z*). Multis praeterea libris bibliothecam Peutingerianam auxit, vt ſuperſtes hodiedum eorum Catalogus docet. *a*) Anno tandem MDLI. vna cum coniuge mortalitatem expleuit, teſte Epitaphio in templo D. Vlrico dedicato hodiedum ſuperſtite, quod eſt:

CLAVDIVS. PIVS. PEVTINGER
PAT. AVG. CONRADI. F.
ET
LVCIA. LAVGINGERIN
CONIVGES
MDLI.
SVB. HOC. TVMVLO. HVMATI
QVIESCVNT. *b*)

VI

VI. CHRISTOPHORVS natus anno MDXI. eo tempore, quo imperii summa inter Patritios, atque plebis tribunos distributa obtinuerat, *Dicasterii publici Adsessor*, hac autem Reipublicae forma a *Carolo* V. anno MDXLVIII. immutata *Senator*, mox biennio post *Ferdinandi* Caesaris auctoritate *Consul c*), atque *Aedilis*, anno tandem MDLIII. ad diem III. Augusti Senatus Princeps, (*Duumuirum* vocant) *Henrico Rehlingero* collega datus est. Mox anno insequenti *Landspergam* comite *D. Sebastiano Christophoro Rehlingero* abiit, ibique nomine Reipublicae Augustanae *faederis Landspergici* societatem iniit *d*). Annum fatalem habuit MDLXXVI. quo XI. April. αποπληξια decessit. Possedit *Christophorus* hic, teste Perillustri *Paulo de* STETTEN *iuniore* in Libro: *Geschichte der Augspurgischen Geschlechter, p.* 189. pagos, haud procul Augusta sitos, *Täfertingen* & *Hürblingen*. Iuuat de eo adferre, quae Perillustr. *Paulus de* STETTEN *senior* in *Chronico Augustano*, *Tom.* 1. *p.* 617. habet. *Unter dieser Zeit* (anno 1576.) *starb der Augspurgische Stadtpfleger* CHRISTOPH PEVTINGER *des berühmten D. Conrad Peutingers und Margarethae Welserin Sohn im* 65. *Iahr seines alters ganz unversehens an einem Schlagfluß. Weilen er aber keine Kinder hinterlassen, machte er aus seiner kostbaren bibliothec, in uvelcher unter andern Merckuvürdigkeiten die bekannte Tabulae Peutingerianae uvaren, uvie auch aus seinem mit Römischen Antiquitätem angefüllten haus und übrigen ansehnlichen Vermögen ein Fidei-Commiss fur seiner Brüder Söhne, und errichtete über dieses eine milde Stifftung für arme nothleidende persohnen. Es entstunden aber nachgehends unter seinen Erben uvegen des Fidei-Commisses viele Strittigkeiten.* Vxorem duxit *Catharinam* LAVGINGERI-

GERIAM anno MDXXXVIII. a. d. XXVII. Nouembr. quam teste *I. G.* LOTTERO MDXLVII. (Apographum *maius* Operis anecdoti: *Schellenberger Hochzeit-Regifter* extans in Bibliotheca *FF. Veithiorum* Auguftae, habet, eam primum MDLXXVIII. obiuiffe) morte amifit. Vir *multarum rerum peritus atque follicitus* GASSARO *e*) & *de patria in periculofo ftatu bene meritus*, Crufio *f*) laudatus, infcriptione funebri abs HIERONYMO WOLFIO celebratus.g) Notandum praeterea, CHRISTOPHORVM in *Hifpania* fuiffe; qua de cauffa illuc profectus, quidue ibi egerit, incertum id quidem, at primum Afferti mei caput ea firmant, quae ad hunc *Plinii* locum: *Teftudines in Africa amputato capite pedibusque pro antidoto dari dicuntur*, PEVTINGERVS pater adnotauit: *Hoc antidoto contra quendam venenatum cibum filius meus* CHRISTOPHORVS *in Hifpania ufus, & Dei gratia fanitati reftitutus in patriam rediit. h*)

VII. REGINAM anno MDXLIII. coniugem *Antonii* SCHLEICHERI factam nouimus. Eandem paulo poft, nimirum A. MDXLVIII. naturae debitum moriendo exfoluiffe, teftatur Apographum *maius* Operis anecdoti: *Schellenberger Hochzeit-Regifter*, extans in dicta Bibliotheca.

VIII. IO. CHRYSOSTOMVS *i*) itidem *fenatoria* dignitate confpicuus, antequam dictae modo *Carolinae* Leges conditae fuiffent, eandem etiam pofthaec retinuit, auctus fimul *Praefecti vectigalibus*, quae ex liquidis pendi folent, prouincia. Vxorem duxiffe conftat A. MDXXXVII. *Barbaram* LAVGINGERIAM, atque *Auguftanam Confeffionem* amplexum *k*) fuiffe. Caeteram anno MDLIII.

MDLIII. magiſtratu abiit *l*) ſatisque teſte LANGENMANTELIO *Augſpurgiſche Regiments - Hiſtoſtorie ſub finem*, anno 1577. ceſſit. Filium reliquit IOANNEM CHRYSOSTOMVM, qui ſe *de Marbach*, pago ſibi proprio nominari voluit, auctoque gentilitio *Inſigni* gloriatus eſt. Iſte IOANNES CHRYSOSTOMVS II. vxorem habuit *Beatricem* BLARERIAM *de Wartenſee*, ex qua IOANN. CHRYSOSTOMVM III. ſuſcepit. Is iuuenis deceſſiſſe creditur, poſtquam prius A. MDXCVIII. vna cum matre tum vidua, ciuis Auguſtani iuribus ſeſe abdicaſſet. *m*)

IX. SABINA nupſit anno MDXLII. *Ioach.* SOITERO *a Vindach* (Confer CRVSII *Annal. Sueu. Dod.* 3. *p.* 649.) Fatis autem ſupremis conceſſit anno MDLVII. teſte Apographo *maiore* Libri anecdoti; SCHELLENBERGER *Hochzeit Regiſter*, quod extat in mox dicta Bibliotheca.

X. Poſtremus CAROLVS anno MDLIII. inter *patriae* proceres cooptatus, *aedilitiam* poſt haec dignitatem conſequutus eſt. Huius atque conlegarum, MATTH. VELSERI & IOACH. IENISCHII, auſpiciis fundamenta *bibliothecae publicae Annaeanae* an. MDLXII. ad d. XVI. Martii iacta ſunt; integrum vero aedificium decembri menſe poſterioris anni perfectum. *Vxores duas* habuit; ANNAM REHLINGERIAM atque MARIAM RAVHENBERGIAM, quarum illa anno MDLI. haec decennio poſt morte defuncta *n*) eſt. Ipſe autem CAROLVS an. MDLXIV. deceſſit, hoc *monimento* a *fratre* CHRISTOPHORO ornatus: *o*)

CARO-

CAROLO. PEVTINGERO
PATRICIO. ET. AEDILI. AVGVSTANO
VIRO. VIRTVTE. PRAESTANTI
CHRISTOPHORVS
PATRIC. ET. II. VIR. AVGVSTANVS
MOERENS
FRATRI. CHARISSIMO
IMMATVRA. MORTE. EREPTO
PIETATIS. ERGO. M. H. F. C.
MORITVR. AN. SAL. MDLXIV
M. FEBR. D. X. H. X. A. M.

Adparet hinc, quanto in honore tunc habitum sit *Augustae* PEVTINGERORVM nomen; *filiabus* nobilissimis hominibus in matrimonium datis, *filiis* vero ad summa reipublicae munera admotis. Praeter vero *patrii* nominis atque meritorum existimationem, & propriae virtutis decus, quae planam ad honores quoscumque capessendos viam redderent, vt ex more atque instituto ciuitatis aditus ad illos expeditior pateret, CAROLI *Imperatoris* factum est clementia. Hic enim, quum an. MDXXXVIII. a. d. XVIII. Decembris diminutum *Patriciorum Augustanorum* numerum lectis ex primoribus ciuitatis familiis explere instituisset, inter *triginta nouem gentes*, in quas *Patricii* insigne nomen tunc *Caesar* contulit, PEVTINGERI etiam non postremum locum *p*) obtinuerunt.

c) En heic MARGARITAE *auos* ex vtroque latere, quorum nomina *Lottero* indicauerunt inlustris VELSERVS atque generosus KOCHIVS, vterque saepius iam laudatus:

MAR-

MARGARITA VELSERIA PEVTINGERI coniunx.	*Antonius Velserus*, natus 1451. post praefectus Memmingensis obiit 11. Mart. 1527. Augustae. aet. 76.	*Lucas Velserus*, aedilis Augustanus. *Vrsula Laugingeria* c. 1449.
	Catharina Voehlinia, nata 1460. defuncta 1514. aet. 54. vndecim liberorum mater.	*Ioannes Voehlin de Hungershausen.* *Elisabetha Schadia de Mittelbibrach.*

d) CRVSIVS *Annal.* Part. III. lib. IX. p. 510. Ipse hac de re magis exposite PEVTINGERVS in *epistola* ad IO. REVCHLINVM, quam Νεογαμος secunda post nuptias celebratas die, nempe IV. Kalend. Februar. MID. (non MDI. vt per errorem posuit typotheta in *epistolarum Reuchlinianarum Sylloge* apud *Thom. Anshelmi, Hagenoae* 4. edita) scripsit; vbi ita: *quod coniugio nostro foelicitatem optas, ex solita humanitatis tuae beneuolentia facis; quare tibi plurimum, & , quas possum, gratias ago. Et quo magis lasciuiendi libertate laxarer, institutioni diuinae parerem, alas pressius agerem, amore vero, non fucatis susurris & blanditiis viuerem, vxorem duxi virginem, paullo breuiorem me, nondum annos XVIII. natam, pudicam, temperatam, pulcram, honestam, & latinis litteris aliquantum imbutam; quae & numquam a domesticis rixosa nec contumeliosa visa est; ex bonis parentibus vrbis nostrae orta. Dotem dedit duum millium florenorum; nihilominus heres futura, si vixerit superstes. Deo itaque opt. max. gratias habeo & habebo, qui studio nostro sociam & asseclam familiarissime nobis collocauit. ad XII. Kal. Decembris nuptiae habitae sunt; domumque ad VI. Kal. Februarias traducta est. Socer meus,* ANTONIVS VELSER *modo rerum domesticarum curatorem me constituit. Quod si de rebus nostris ad te prolixius & iactantius scripserim, ignoscas; ad amicum enim verum & communem loquor.*

e) GASSARI nempe ad h. a. p. 1734. CRVSII part. III. L. IX. p. 526. & ex iisdem STENGELIVS rer. August. L. II. cap. LXII. §. 16. p. 254. & VENDLERVS Diss. saepius citata, qui tamen falso annum MDIX. adle-

gat. De IVLIANAE profectibus, quos in linguae latinae studio vel trimula iam fecerat, ita *pater* in *epistola* ad REVCHLINVM ad X. Kal. Maias an. MDIII. data: *agimus tibi ego, vxor, & filiae gratias: vehementius etiam ageremus, si filiae agere liberius possent. Sed omnia in* IVLIANAM *filiam conferemus, quae & litteras modo latinas legere didicit, & memoriter absque scripto repetit, & syllabas etiam, dum ei munus aliquod, licet exiguum, dono, discit. - - Vale, & me ama, vt soles; vxor & Iuliana suo & Constantiae nomine te saluum optant.*

f In elegantissimis nempe *de linguae latinae in Germania fatis*, Commentariis, tomo II. cap. V. p. 490. interim eumdem clarissimum virum, vbi in commentario *de vita Hutteni* part. I. p. 113. *maiorem natu Iuliana fuisse sororem Constantiam* existimauit, minus recte coniecisse ex dictis patet.

g) Fecit illud VLRICVS HVTTENVS *in Epistola* ad PEVTINGERVM, *Exhortatoriae* ipsius *ad Principes Germaniae, vt bellum Turcis inuehant*, Augustae Vind. MDXVIII. 4. V. plagulis editae & *Peutingeri* nomini inscriptae, praemissa; quam repetiit BVRCARDVS in *vita Hutteni* part. III. p. 84. conlat. part. I. pag. III. & *analect.* ad tom. II. plag. Z. 4.

h) BAELIVS, in *indice historico critico* nomine HVTTEN, pag. 1622. (D) vbi postquam eadem fere de corona ipsius poetica *Constantiae* manibus confecta recensuisset; addit: *pour vn poète, qui aimoit le sexe, comme faisoit Hutten, il y auoit la, de quoi debiter de mots nouueaux & bien des pensées; & ce seroit vn grand hazard, si la belle Constance Peuttinger n'auoit pas été regalée des plusieurs epigrammes.*

i) Vide *Iusti Reuberi Script. Rer. Germanic.* a *Georg. Christ.* IOANNIS editos, *p.* 1185. *col. b.*

k) Extat in Bibliotheca *FF.* VEITHIORVM Augustae.

l) Vide infra *Appendicem* huius *Vitae.*

m) Ita ipse PEVTINGERVS in *Epistola* anecdota ad *Theodoric. Ryficheum* 1510. XVIII. Kal. Decembr. data testatur: *Filius noster pro aetate sua corpore satis procero natus est annum vnum, dies XVII. hunc in tinctione sacra (ita D. Claudio Burgundionum Apostolo deuoueram) Claudium Pium appellari feci. Opto, vt Deo auxiliante bene agat.*

n)

n) *Anno MDXXVI. die XXVII. Aug. receſſit Claudius Pius verſus Aurelianum, Deus eum ſaluum velit.* Ita adſcriptum Catalogo cuidam Biblioth. Peutingerianae obſeruauit V. Cl. OEFELIVS, in *Peutingerianis* ſuis.

o) CRVSIO teſte, part. III. L. XI. p. 627.

p) GASSARVS l. c. p. 1802. HENRICVS PANTALEON *Proſopogr.* part. III. p. 203. & VITVS LVDOCVS a SECKENDORF *Comment. de Lutheraniſmo* lib. III. §. XLV. p. 125.

q) CRVSIVS l. c. p. 633. STENGELIVS L. II. cap. LXV. p. 280.

r) Perilluſtr. *de* STETTEN *Geſchichte der Stadt Augſpurg*, *Tom. I. p.* 368. GASSARVS, *p.* 1822.

s) Idem *p.* 372. & GASSARVS, *p.* 1835.

t) GASSARVS, *p.* 1844.

u) Amicitiae cum *Sleidano* habitae monumentum hodiedum extat in Bibliotheca Peutingeriana eiusdem *Sleidani* Cominaeus, latine redditus, Argentinae 1545. 4. editus, CLAVDIO noſtro dono miſſus.

x) Epiſtola *Viglii* ZVICHEMI ad CLAVDIVM noſtrum amoris plena extat in *C. P. Hoynck van* PAPPENDRECHT *Annal. belgic. Tom. II. p. I. p.* 47.

y) GASSARVS, *p.* 1838. CRVSIVS, *p.* 656. Ceterum quibus laudibus CORNARIVS extollat *Claudium Pium* PEVTINGERVM, videre licet in *Dedicatione Operum Hippocratis* praeuia.

z) Teſtatur haec ipſe GASSARVS, in dedicatione *annalium* ad Senatum Auguſtanum, ab inluſtri MENKENIO ad calcem eorundem p. 1952. ſ. primum ex MSto vulgata, verbis: *& quia cl. Iureconſultus, vetus meus commilito atque amicus, doctor Cl. Pius Peutinger annotatiunculas nonnullas ad propoſitum meum ſeruientes communicando, ſtimulum etiam currenti adderet*, rel.

a) Ita obſeruauit V. Clar. OEFELIVS.

b) Apud DANIELEM PRASCHIVM in *Epitaphiis Auguſtanis* Auguſtae an. MDCXXIV. 4. editis, pag. 57.

c) Confer DAVIDIS LANGENMANTELII, Patritii Auguſtani, *Hiſtorie des Regiments zu Augſpurg* p. 85. 89. 91. 152. 162. CHRIST. STRIDTBECKII *Progonologiſche Tabellen aller Augſpurgiſchen Herren Stadtpfleger* in 4. tab. IV. & reuerendiſſimi atque maxime generoſi viri HIERONYMI AMBROSII LANGENMANTELII, canoni-

 noni-

nonici & fenioris ad D. Mauritii Auguftae, *Pinacothecam χρονολογικην, fiue imagines ampliffimorum duumuirorum ciuitatis Auguftanae*, Aug. Vind. MDCCXVII. fol. adde *Catalogum bibliothecae Auguftanae ftudio Eliae* EHINGERI adornatum, fol. 235.

d) Perilluftr. *de* STETTEN *Hiftorie von Augfpurg. Tom. I. p.* 518.

e) GASSARVS, p. 1876. & 1952.

f) CRVSIVS *P.* III. *p.* 631.

g) In *Quaeftionibus ex Ciceronis Officiis*, vbi & alios ex ftirpe *Peutingeriana* laudibus mactat.

h) Ita obferuauit V. CL. OEFELIVS in *Peutingerianis* fuis. Praeterea CHRISTOPHORVM anno 1536. haud dubie ftudiorum cauffa, *Madriti*, vrbe Hifpaniae principe, commoratum effe docet *pagella* plena veterum *Infcriptionum* (feruatur haec in Bibliotheca quondam *Societatis Iefu* inter cetera lipfana *Peutingeriana*) quam patri fuo mifit; prout idem fua manu in extima parte adfcripfit: *Miffa per Chriftophorum filium ex Madrit die* 25. *Martii, & accepta hic Auguftae die* 13. *April. anno* 1536.

i) Paterni in IO. CHRYSOSTOMVM ftudii monumentum exhibet OEFELIO tefte Bibliotheca *Peutingeriana* Libros duos *Epiftolar. Ciceronis* 1515. *Lipfiae*, in 4. dono ei datos, his adfcriptis ex *Homilia S. Chryfoftomi* decima fuper *Genefin*, interprete *Oecolampadio*: „Nonne & puerum verberares, & magiftrum argueres; „ & deinde difcens, quod magifter omne fuum officium „ feciffet & plane intermififfet nihil, pueri autem ignauia „ cauffa fit omnium; nonne indignationem omnem in „ puerum transferres, non iam accufans magiftrum: vt „ ipfum & iufte fieret.„

Quod tu, Ioannes Chryfoftome! diligenter lege, & memoriae commendato, ne ignauiae a patre accuferis. Ch. P. Pater.

k) LANGENMANTELII *Augfpurgifche Regiments-Hiftorie. p.* 89. 91. 152.

l) Perilluftr. *de* STETTEN *Hiftorie von Augfpurg, Tom. I. p.* 502.

m) Pauli a STETTEN iunioris *Gefchichte der augfpurgifchen Gefchlechter, p.* 188, 189.

n) LANGENMANTELII *Regiments-Hiftorie, p.* 162.

o) PRASCHIVS *Epitaph. Auguft. p.* 20.

p)

p) Vide GASSARVM, *Annal.* p. 1812. CRVSIVM *P. III.* p. 668. PANTALEONEM *Prosopograph.* p. 3. p. 203. *Augspurgische Regiments - Historie* p. 75. Ceterum minus recte existimauisse, qui CONRADVM *nostrum patriciae stirpis Augustanae origine conspicuum* dixerunt, abunde hinc patet.

IX.

Pauca etiam de *nepotibus* CONRADI *nostri*, & qui ex illis geniti PEVTINGERORVM nomen per modicum adhuc tempus sustinuerunt, dicenda restant; ad illum vsque, in quo *domus vniuersa* mirabili fortunae commutatione iterum fuit exstincta. Plurimi horum aut nullos ex se procrearunt liberos, aut nihil saltim de iis compertum est; CLAVDIVS autem PIVS *paternae* etiam fecunditatis heres copiosam maxime prae reliquis sobolem reliquit, per summa iam nobis capita itidem ex parte recensendam.

1. MARGARITA, quam *Beguinarum* institutum sequutam *Lotterus* asserit, comes interfuisse legitur, apud GASSARVM q) multis pro more sarcasmis in hac narratione vtentem, peregrinationi sacrae ab *Vrsula* LICHTENSTEINENSI, *Georg Fuggeri* vidua, anno MDLXIX. *Romam* atque *Lauretum* institutae. Haec insuper laus *Nostrae* propria est, quod anno MDLXXXI. prima *Seminarii pauperum Studiosorum S. Iosephi* in patria vrbe fundamenta iecerit, numeratis in eum finem ducentis florenis, ex quibus stabilis quotannis census decem florenorum rediret; de qua re videsis *Historiam Prouinc. Societ. Iesu, Germaniae superioris*, P. 1. p. 243.

II. CLAVDIVS CONRADVS PIVS, I. V. D. & rei publicae *Augustanae Syndicus* anno MDLXIX. Decembri mense, HIERONYMO IMHOF, *Septemuiro*, ADAMO RHEM, *Senatori* & SEBAST. CHRIST. REHLINGERO itidem *Syndico* collega datus, *Monachium* abiit, federis inter quosdam imperii proceres aduersus Gallos feriundi caussa. Idem sequenti anno comitiis *Spirae* ab Imperatore MAXIMILIANO II. coactis cum IO. MATTH. STAMLERO, *Senatore*, interfuit; & biennio elapso *Monachium* denuo concessit cum HIERON. IMHOF, federis *Landsbergensis* religionem instauraturus *r*). Vxorem ab anno inde MDLXII. habuit *Elisab.* REHLINGERIAM. Perillustris *Paulus a* STETTEN *s*) ad annum 1599. inter eos, qui Senatui a *consiliis* fuerant, recenset CONRADVM PIVM PEVTINGERVM. Num idem sit cum hoc CLAVDIO CONRADO PIO, in medio relinquo.

III. CLAVDIVS NARCISSVS eodem, quo frater, anno *Magdal.* REHLINGERIAE, anno MDCX. subin mortuae, *coniunx factus* & *filio* CONRADO auctus, stirpem protulit. De hoc nonnulla, etsi ab instituto nostro alieniora, Perillustr. *a* STETTEN *senior* memorat *t*). *Dicasterio publico* ciuitatis, in quod anno 1564. adscitus fuerat, anno 1572. valedixit teste LANGENMANTELIO *Augspurgische Regiments-Historie*, *sub finem*.

IV. CLAVDIVS EVSEBIVS eodem *Dicasterio*, in quod anno 1585. cooptatus fuit, anno 1602. decessit. Prolem vnicam, quam ex *Helena* MEVTINGIA susceperat, scilicet *Ioann.* IACO-

CO-

COBVM, quem inter *Inſcriptos* Academiae *Ingolſtadienſis* reperio ad annum 1604. in *Annalib.* dictae *Academiae*, *Tom. II.* iterum amiſit teſte Epitaphio *u*):

D. O. M.
CLAVDIVS. EVSEBIVS. PEVTINGERVS
PAT. AVGVST
CL. PII. F. CONRADI. N
QVEM
F. VNICVS. IOAN. IACOBVS
TVRBATO. ORDINE. MORTALITATIS
ANTEVERTIT
CVM. EODEM. SVB. HOC. SAXO
TVMVLATVS. QVIESCIT
OBIIT. F
PRIDIE. NON. NOVEMB. A. MDCIV
PAT. VERO
MISERERE. NOSTRI. DEVS
CL. EV. P. V. F. C. A. MDCX.

V. LVCIA, vxor *Ioann. Anton.* LAVGINGERI facta, diem ſupremum clauſit Anno MDLXXI. vti teſtatur Apographum *maius* Operis anecdoti: SCHELLENBERGER *Hochzeit-Regiſter*, extans in Bibliotheca *FF. Veith.*

De *reliquis*, vti etiam de IO. CHRYSOSTOMI *liberis*, IO. CHRYSOSTOMO (Conferto de hoc pauca, quae ſuperiore *paragrapho*, *n.* VIII. retuli) atque IVLIANA parum conſtat; hoc ſaltim notamus, IVLIANAM hanc cum CONRADI filia, de qua ſupra dictum eſt, & quae infans obiit, ſaepius a Scriptoribus perperam pro eadem habitam fuiſſe. Ceterum illa anno

MDLXXII. *Iunio* menſe RAYMVNDO IMHOF matrimonio iuncta, ſecundo poſt anno improlis deceſſit, atque ipſi a coniuge hoc *Epitaphium* poſitum eſt *x*).

REMVNDVS. IM. HOF
CONIVGI. SVAE. CHARISSIMAE
IVLIANAE. PEVTINGERIN
P.
OBIIT. X. CALEND. NOVEMB.
ANNO. DOMINI. MDLXXIV
AETATIS. SVAE. ANNO. XIX.

CONRADVS autem CLAVDII NARCISSI filius, natus anno MDLXXII. anno MDCI. *ſenatoria* dignitate, & poſt biennium *Praetura* ornatus, anno MDCVI. *Steurarum* praefectus renunciatus, anno MDCX. *Septemuirorum* illuſtri collegio adſcriptus, elapſo quadriennio *Aerarii publici* praeſidibus accenſitus *y*), tandem a. d. XX. Auguſti anno MDCXXXV. *Duumuir* electus, quarto poſt menſe *z*) vitam cum morte commutauit. Hic, teſtante Perilluſtri *Paulo a* STETTEN *iuniore* in Libro: *Geſchichte der Augſpurgiſchen Geſchlechter*, *p.* 189. anno 1616. a *Carolo Fillingero* pagum *Willmatshofen* emit, quem, diu ab eius poſteris poſſeſſum, tandem gentis *Peutingeriae* poſtremus IGNATIVS DESIDERIVS, de quo mox ſermo habebitur, *Antonio Ignatio ab* IMHof vendidit (Factum hoc fuiſſe anno 1724. tradit citatus Perilluſtr. *Auctor*, ſed non ſine aperto parachroniſmo, niſi mendum typographicum dicere velis; cum IGNATIVS DESIDERIVS iam ſexennio ante e vivis exceſſerit: prout ex dicendis patebit) Sed ad CONRADVM reuertatur oratio. Ex priori coniuge

Maria

Maria REMBOLDIA, quam tamen anno 1621. morte amisit, pater factus est MARCI atque CHRISTOPHORI: alteram viduam duxit *Mar. Magdal.* REHLINGERIAM anno 1622. d. XXVIII. Nouembr. eadem decennio post denuo priuatus, teste Apographo *maiori* operis anecdoti: SCHELLENBERGER *Hochzeit Regiſter*, quod extat in Bibliotheca *FF. Veith*, Auguſtae. Huius filiorum unus CHRISTOPHORVS honorificam *Auditoris Rotae Romanae* prouinciam adeptus est *a*). Alter MARCVS, *Dicaſterii* patrii *Adſeſſor b*) poſtea in Senatum, quo tamen iterum deceſſit teſte LANGENMANTELIO *Augſpurgiſche Regiments - Hiſtorie*, *ſub finem*, adlectus cum *Eliſabetha* REHLINGERIA anno MDCXXXVI. in thori ſocietatem accepta IGNATIVM DESIDERIVM genuit. Hic anno MDCXXXXI. a. d. XIII. Martii natus *Auguſtae*, adoleſcentiam *Romae*, in contubernio Patrui *Chriſtophori*, in colendis optimis ſtudiis cum laude tranſegit, atque *Doctoris in vtroque iure* lauream conſecutus eſt. Mox ab *Alexandro* VII. pontifice maximo, cui *theſes* ex iurisprudentia defenſas dedicarat, *canonicatu* Eccleſiae cathedralis *Conſtantienſis* donatus, hunc cum alio lautiore Eccleſiae principalis *Eluacenſis* anno MDCLXVI. commutauit, in qua anno MDCLXXVII. ad *Scholaſtici*, quem vocant, dignitatem euectus, tandem anno MDCXCVII. ſupremum *Decani* munus, meritorum *c*) praemium, obtinuit. Denique anno MDCCXVIII. (non circa annum MDCCXV. vti LOTTERVS, nec etiam anno ipſo MDCCXV. vti *Franc. Chriſtoph. a* SCHEYB in *Peutingeriana Tabula itineraria*, *p.* 37. ambo male, ſcripſerunt) fatis ſupremis functus, gentis poſtremus, *Peutin-*

gerorum quidem nomen ex terris ſecum abſtulit, memoriam tamen poſteris Auguſtanis praecipue deſiderabilem ſemper futuram aufferre non potuit.

Liceat me paululum ſubſiſtere, apponereque Notitiam de memorato IGNATIO DESIDERIO, Viri alicuius mihi plurimum venerandi interuentu, Eluaco communicatam: „ Canonicatum Eluacenſem obtinuit *Noſter* 9. Nouembr. anni praedicti MDCLXVI. In eiusdem „ Canonicatus poſſeſſionem intromiſſus eſt 17. „ Iunii anni MDCLXVII. Locum in *Capitulo* accepit 31. Octobr. MDCLXX. *Scholaſtici* dignitate a Praepoſito *Io. Chriſtoph.* de ADELMANN auctus eſt 5. Octobr. anno MDCLXXVII. „ *Decanatus* Eluacenſis honorem 22. Ianuar. anno MDCXCVII. nec non ita multo poſt *Locumtenentis* a FRANC. LVDOVICO *Palatino* „ *Rheni*, Praepoſito, Epiſcopo Wormatienſi &c. „ &c. a quo plurimi aeſtimabatur, cepit. „

Reliquas vitae IGNATII DESIDERII circumſtantias dabunt duo Epitaphia in Capella periſtylii Eccleſiae Eluacenſis ex vtraque muri parte ſub effigiebus *Noſtri* viſenda. *Primum* Epitaphium ſic ſonat:

Siſte Viator!
Non vnus hic homo iacet,
ſed integrum genus.
Ignatius Deſiderius a Peuttingen,
I. V. D.
Principalis Eccleſiae Eluacenſis
Decanus & Adminiſtrator,
ex nobili & antiqua Peuttingerorum familia,

dudum

dudum in Bauaria exorta,
& a pago Peuttingen nomen suum sortita,
dein A. MCCL. Augustam Vindel. translata,
demum Eluaci extincta,
vltimus.
Qui A. MDCXLI. Augustae XIII. Martii natus,
per annos viginti Romae educatus,
& A. MDCLXIX. Eluacum aduectus,
tandèm A. MDCCXVIII. die XVIII. Mens. Octobris
ibidem defunctus,
suam secum stirpem in hoc sepulchrum
adduxit.
Sic nempe non singuli tantum homines,
sed integrae familiae,
regna & imperia
ortum suum habent & occasum.
Tu proin edoctus,
quam fluxa sint omnia,
animum a caducis ad aeterna transfer,
& defunctis bene precare.
Vale.

Secundi vero Epitaphii, quod *Societas Iesu* fautori ac benefactori suo maximo, & fundatori Collegii Eluacensis eiusdem *Societatis* debitae gratitudinis ergo posuit, verba haec sunt:

Vir immortalitate dignus,
quia omni virtutum genere longe clarissimus;
Pontificum solatium, Principum amor,
Ecclesiae decus, Subditorum asylon,
Religionis speculum, emporium scientiarum,
Regula Recti in vtroque foro:
Vel,
vt omnia verbo complectar,
Decanus & Locumtenens religiosissimus.
Quod vbique terrarum testatur
deuinctissima Iesu Societas,
ac benefactori suo munificentissimo
in debitae obseruantiae anathema
vna cum primo Collegii lapide.

Hoc

Hoc monimentum posuit
Anno MDCCXX.
Die D. Patriarchae nostro Ignatio sacra,
a quo cognomen & virtutem traxit
Vir desideriorum. *Dan.* 9.

Hactenus de IGNATIO DESIDERIO. Caeterum cum *nepotum* CONRADI nostri plurimi, quod ex hactenus expositis patet, futilis & caducae vitae terminos tam *meritis* in *patriam*, quam *studiis* & *virtute* proferre strenue adlaborassent, abunde reliquerunt, quo se olim vixisse serissimae etiam posteritati testarentur.

q) GASSARVS, p. 1926.

r) LANGENMANTELII *Regiments - Historie*, p. 179. GASSARVS, p. 1926. 1930. 1937.

s) *Damalen* (1599.) *hatte die Stadt folgende Raths-Aduocaten, oder vvie sie heunt zu tag genennet vverden Raths - Consulenten in ihrer Bestallung, nemlich D. Adam Zech, D. Conrad Pius Peutinger.* Ita *Paul. a* STETTEN, *Hist. von Auspurg, Tom. I. p.* 753.

t) *Als in dem Monath Iunio Iohann Ludvvig vnd Iohann Caspar Freyherren von Ulm zvvey hiesige Geschlechter Carl Rehlingern vnd Claudius Narcissus Peutingern vor dem oesterreichischen Land - Gericht zu Nellenburg im Hegövv ex capite iniuriarum belanget &c. Paul a* STETTEN *l. c. p.* 776.

u) PRASCHIVS in *Epitaph. August. p.* 32.

x) *Idem ibidem*, p. 24.

y) LANGENMANTELII *Regiments - Historie*, p. 203. *seqq.* item Liber: *Der H. R. R. Stadt Augspurg gevveste Haupter vnd Pflegere.*

z) Ita mox citatus Liber: *Der H. R. R. Stadt &c.* aduersus *Lotterum* testatur, qui scripsit, quarto post acceptum Duumuiratum die obiisse.

a) *Christophorus* hic & scientiae laude, & munerum gestorum magnitudine clarior extitit, quam vt eius elogium a *Corbiniano* KHAMMIO in *Hierarch. August. P. II. Colleg. Cap. X. p.* 321. litteris traditum attexere hoc loco intermittam. En verba illius: CHRISTOPHORVS *a* PEVTINGEN *Patritius Augustanus, per resignationem Eminentiss. Cardinalis Melchioris Kleselii* Praepositus S. Mauritii

ritil *anno* 1628. *die* 13. *Nouembris.* Ameriae, Nocerae, Rauennae *& in aliis pontificiae ditionis ciuitatibus* Gubernator pontificius: *pro S. Caesarea Maiestate & inclyta Natione Germanica* S. Rotae Romanae Auditor & Praelatus: *absolutae Iurisprudentiae raritate inter aeui sui ICtos excellens: litterarum & caussarum Patronus incomparabilis, non solum a summis Pontificibus, Cardinalibus, & Nationalibus, sed etiam ab exteris ac minus etiam notis impense amatus.* Petri Ottoboni *in Rota Romana quondam sui Collegae, deinceps die* 6. *Octobr.* 1689. *summi Pontificis,* Amicus intimus: *Ecclesiarum cathedralium* Constantiensis, Tridentinae & Cameracensis *Canonicus Praeter Praeposituram S. Mauritii Augustae etiam Ecclesiarum Collegiatarum* S. Stephani *Constantiae*, S. Andreae *Coloniae*, S. Victoris *Moguntiae, aliaque Beneficia (aliquibus resignatis) ecclesiastica adeptus est. Demum postquam in absentia Legati caesarei apud* Vrbanum VIII. *Romae negotia Imperatoris gessit,* Decisiones Rotulares, *postea praelo etiam submissas, conscripsit, Auditoratus caussas* 18. *annis prudentissime tractauit, Romae grassantem pestem fugiens* in Ameriam *se contulit; attamen mortem non effugit: quippe hic loci aliquamdiu commoratus in lectum, a lecto in lethum incidit, vita temporali exutus aetatis* 56. *die* 14. *Decembris, anno gratiae* 1656.

b) LANGENMANTELII *Regiments-Historie* p. 204. 223.

c) Debemus huius insignis viri notitiam R. P. CORBINIANO KHAMM, *Ordinis S. Benedicti in libero atque imperiali monasterio ad SS. Vlricum & Afram August. Vindelicor. professi & theologi,* qui in *Hierarchia Augustana,* Augustae MDCCIX. quarti ordinis forma edita, parte II. cap. X. ad an. MDCXCVII. num. 494. p. 384. potiora ista *vitae Peutingerianae* capita descripsit. addidit is etiam *elogium* viri, quod, quum in paucorum liber iste manibus versetur, huc transscribere haud pigramur. Ita vero ille: *vir erga aduenas hospitalis, ipsemet in victu, cultu & vultu tenuis, glacialem hiemem, torridam aestatem, aspera & plana iuxta habens. Effusa, attamen tacita, liberalitate in pauperes insignis, viris summis ac imis probatissimus. Praecipue Alexandro VIII. summo Pontifici olim charissimus. In consuetudinibus Romanae curiae & vsu tractandarum rerum in Italia experientia singulari praeditus. Arduis pro Eluacensi ecclesia, ac vniuersa re publica Christiana tuenda & propaganda negotiis iugiter intentus.*

Gras-

Grassantibus paucis abhinc annis ad Danubium hostibus, & ad multorum millium florenorum Eluaco actiones vi extorquendas imponentibus. nec non bina vice in ipsam ferme vrbem irrumpentibus reuerendissimus ac gratiosus D. D. Locumtenens nec pedem Eluaco extulit, stetit ceu murus aheneus, omnis terroris expers, inter oues pastor fidissimus. Inter alias quoque funestissimas calamitates Locumtenens constantissimus, pro conseruatis subditis coronam ciuicam promeritus. Vabente adhuc senili aetate non minus a totius litteraturae cumulo & ab imitabili status clericalis exemplo, quam assiduis actuosae vitae laboribus, & a prudentiae quasi implantatae gloria percelebris, honorificentissimum sui Decanatus & Locumtenentis munus magno etiamnum implet nomine, maiori virtute, maxima famae celebritate; vrbis Augustanae, in qua natus, honor; vrbis Romanae, in qua educatus, decor; patriciae Augustanae gentis splendor; vniuersorum Sueuorum ornamentum; perennet. Haec ille:

X

Expositis ita cum cura, quae ad PEVTINGERORVM *historiam* vniuersim conlustrandam pertinere visa sunt, ad CONRADVM *nostrum* reuertimur, de *vitae*, quem is habuit, *exitu*, quod adhuc superest, narraturi. Beatissimus hic autem illi multiplici nomine accidit. Neque enim, quod praematurus nimis esset, suis luctuosus fuit; quum aetate vltra communem mortalium sortem prouecta ex naturae magis necessitate quam alia quacumque caussa, plenus honoribus, in altissima tranquillitate pari omnium veneratione decederet, relicta vxore, quam grandi cum suo solatio, tam amatum sibi bonum, tamdiu tenuit, vt aliquot demum post maritum annis, scilicet MDLII. a d. VII. Septembris ad plures abiret; relictis filiis virtute, fama, doctrina & summa apud ciues caritate longe florentissimis; relictis denique amicis plurimis, qui tamquam prisci aeui emendatissimum exemplar iugi illum recordatione colerent, eiusdemque memoriam certa-

certatim ad posteros celebrarent. Finiit itaque PEVTINGERVS vitam, aut mortalitatem potius, V. *Kal. Ianuar. an.* MDXLVII, annis LXXXII. mensibus II. diebus XII. expletis, *d*) atque familiari sepulcro, quod *e*) in *templo summo parochiali* (*in der Dom - Kirche*) eiusdemque *Coemeterio tecto*, (*die finstere Graebt* vocant) erat, coniugis filiorumque pietate conditus fuit, hoc insigni laudis *monimento* marmoreae tabulae inscripto *f*):

D. O. M. TR. V. SALVATORI
ET
CHVONRADO.PEVTINGERO.I.C.PATRIC.AVG
CONSIL. AVGG
ERVDITIONE VIRTVTE
REBVSQVE. AMIC.BON.SENECTA. FELICI
ET. IPSA. MORTE. CL. V
QVI. VIX. AN. LXXXII. M. II. D. XII
HOC. IN. SEPVLCHRO. MAIOR. CONDITVR
MARGARITA. VELSERIA. CONIVNX
ET
CL. PIVS. I. C. CHRISTOPHORVS
IO. CHRYSOSTOMVS. CAROLVSQ
FRATRES. GERMANI
FILII. HAERE. Q. PEVTINGERI. IVN
EX. MERITO. AMORIS
OBSERVANT. ET. OBSEQVII. PII. ERGO
M. POSVERVNT
OBIIT. V. KL. IAN. AN. MDXLVII

Superant autem etiam adhuc praestantiora atque perenniora marmore *ingenii* atque *eruditam in ciuitatem summorum meritorum monimenta* CONRADI *nostri*, ad quae diligenter non minus *sequenti* proxime *capite* percensenda accedemus; postquam unum

unum adhuc, quod commemorandum reſtat, hoc loco quaſi in tranſitu monuerimus: ſcilicet temporibus NOSTRI alium quendam ψευδωνυμον *Conradum Peutingerum* (fors ementito inclyto *Noſtri* nomine magis clareſcere volentem) in Suecia extitiſſe, qui anno MDXLIV. adeoque *Noſtro* etiamnum ſuperſtite illuſtri munere *Cancellarii* in eo regno fulſit: de quo duas *Martini Lutheri* ad *Guſtauum* I. Sueciae, & *Chriſtianum* Daniae reges, ſupplices litteras in *Actis litterariis Sueciae* a. 1724. *trimeſtri* 4. *p.* 595-598. inueniri *I. G.* LOTTERVS *g*) annotauit.

d) IACOBVS AVGVSTVS THVANVS, grauiſſimus iuxta atque facundiſſimus rerum illis atque poſt haec temporibus geſtarum ſcriptor, *hiſtoriarum* libro III. circa finem, p. 99. edit. Aurelianenſ. MDCXX. fol. *exeunte anno* (ſcilicet MDXLVII.) *in uiuis eſſe deſiit Auguſtae Vindelicorum Conradus Peutingerus, qui pridem viuere deſierat annis adtritus, quippe completo LXXXII. aetatis anno; vir vt natalibus, ſic dignitate clarus, & cuius memoriam tabula Peutingeriana poſtea a M. Velſero edita apud doctos renouauit.*

e) Hoc maxime ſepulturae loco uſam fuiſſe gentem *Peutingerianam* tum ſuperius §.II. indicatum eſt: tum ea confirmant, quae ex *Chronico MSS. Auguſtano ab initio vrbis ad annum* 1540. in Bibliotheca *FF. Veithiorum* aſſeruato, afferre aptum duco: *Anno* 1420. *da vvas hie zu Augſpurgk ein groſſer Sterbet, das die Reichen all aus der Statt fluchen, vnd ſtarben anderſtvva, das man ſy vvider herein muſt fieren. Alſo beſchach dem Beutinger, der ſtarb zu Werd, unbericht und ohn alle Gots-Recht, den furt man auch her gen Augſpurg und begrub ihn im Thum, und beſang ihn da.* rel. Inſuper ex allatis conficitur, familiam *Peutingeriam* facultatum copia atque diuitiis minime deſtitutam fuiſſe.

f) Seruauit etiam NATHAN CHYTRAEVS in *Deliciis itinerum,* p 298. & PRASCHIVS inter *Epitaphia Auguſtana* p. 17. atque ex hoc FREHERVS, qui tamen pro more ſatis negligenter deſcriptum exhibet.

g) In *Epiſtola ad I. G. Schelhornium de edendis* CONRADI PEVTINGERI *Opuſculis.* 40.

SECVN-



SECVNDI CAPITIS,

QVO

MERITA IN REM LITTERARIAM CONRADI PEVTINGERI EDISSERVNTVR, AMBITVS.

I Breuis eorum, quae hoc quidem tractatu percensebuntur, conspectus.

II Quae praeter iuris vniuersi scientiam in nostro fuit Romanae vetustatis penitior cognitio; epigrammatum Latinorum Augustae superstitum sollicita conquisitio & conseruatio in aedibus propriis.

III Monumenta Germanicae historiae ac antiquitatis non minori studio conlecta. Nonnulla de bibliothecae Peutingerianae fatis in transitu. Studii numismatum antiquorum per ipsum inter Germanos facta instauratio. Alia studia seueriora.

IV Humanitatis disciplina non sequiori industria culta atque adamata. Latinae ac graecae linguae intelligentia. Eloquentiae facultas. Poetices amor.

V Scriptorum elenchus, quae vel ipse auctor condidit, vel, ab aliis litteris consignata, bono publico vulgauit. Inter illa: Romanae vetustatis fragmenta Augustae reperta, *Marci post haec Velseri Commentariis exposita.*

VI Excipiunt haec Sermones conuiuales de mirandis Germaniae antiquitatibus.

VII Et reliqua tamdem minutioris molis opuscula.

VIII Scripta aliorum, quorum edendorum curam ipse suscepit.

IX Anecdotorum Syllabus. Vxoris Epistola olim MSta.

X Tabulae Peutingerianae historia.

XI *Amici, quos coluit familiariter, interque hos facile principes Ioannes Tritthemius, Ioannes Reuchlinus & Vlricus Huttenus.*

XII *Epistolarum, quas cum ipsis commutauit, index. Corporis atque animi typus. Conclusio.*

I

Si PLINII *Iunioris* sententiae sua constat veritas, qua *beatos* edixit a) *quibus datum sit, aut facere scribenda aut legenda scribere; beatissimos vero, quibus vtrumque*: CONRADO certe *nostro*, multiplici nomine, quod *priori tractationis parte* adparuit, *felici*, neque ex hac etiam parte felicitatis defuit quidpiam. Praeter haec enim, quod *vita* & praeclare *factis* plurimis meruerit, vt memoria ipsius duret apud posteros; mansuris etiam *operibus*, quae condidit partim ipse, partim ab aliis elaborata ex tenebris atque silentio protulit, famae sibi perpetuitatem conciliauit; non tam latae magis, quae mediocribus etiam contigit quandoque ingeniis, quam re vera magnae. Enim vero, quum insuper non ipse solum singulari floruerit doctrinae praestantioris copia, sed alios etiam quoscumque, quos in studiis aliquid suo tempore facere cognouisset, amauerit atque ornauerit omni opere; non studiorum tantum, sed & studiosorum fuerit amantissimus; facile existimari potest, quam multis illum abundasse oporteat virtutibus, qui alienas tam coluerit impense. Vtriusque rei amplissima argumenta nobis praesto sunt, vbi *altero* iam *commentationis nostrae capite de meritis* PEVTINGERI *in rem litterariam* exponere instituimus; in quo, delineato prius cum cura doctrinae, quae in ipso fuit singularis, ambitu, tum, indicis quasi partibus

tibus functi, *scripta nostri* referemus diligenter; tum vero quid praeter haec in commune Doctorum bonum atque incrementum laudatissimo studio effecerit, & quanto hinc apud suae tempestatis Eruditos in precio fuerit atque honore habitus, quam fieri poterit, plene atque luculenter trademus.

a) PLINIVS lib. VI. epist. XVI.

II

Incidit *nostri* aetas in auspicatissima illa tempora, quibus litteris, diuturna admodum, medio aeuo, nocte consepultis, honor suus restitui atque proferri in lucem denuo occoepit; exemplum praeeuntibus maxime praestantissimis *Italorum* ingeniis. Horum disciplina ille iuuenilibus annis formatus non amorem tantum litterarum, sed omnis fere generis doctrinae adparatum in *Germaniam* secum, sicuti alii nostratium haud pauci tum fecerant, retulit. Equidem *legitima* scientia tunc nondum adeo exculta *b*) fuerat atque perpolita, qualem non multo post ZASIORVM, ALCIATORVM, BVDAEORVM, CVIACIORVM, BRISSONIORVM aliorumque elegantissima reddiderunt ingenia; vt experrectae atque liberalioris indolis hominibus admodum placere *c*) illa potuisset; vnde magis CONRADI animus in *humaniores litteras*, & petitam ex vltima *antiquitate* eruditionem propendit *d*). In hac autem comparanda, quod supra dictum est, POMPONIVM LAETVM in primis magistrum sequutus, postquam in *patriam* rediisset, non ita doctoris mores caeco quodam impetu amplexus atque imitatus est, vt prae *Romanae vetu-*

ſtatis inquiſitione ſorderent ipſi quarumuis aliarum rerum ſtudia, praeſertim *patriae Germanicae* gentis *antiquitates*; quin potius illas ita excolendas prudenti conſilio inſtituit, vt has non inconſulto praetermitteret, & *exterarum* rerum peritus, in *domeſticis* quoque non ignarum animum circumferret. Qua quidem re hoc conſequutus eſt, vt non tantum inter *inſtauratores litterarum* elegantiorum atque *antiquariae cognitionis* in *Germania* non poſtremus communi popularium ore celebraretur; ſed etiam MAXIMILIANI praecipue Imperatoris ſingularem gratiam ſibi conciliaret. Hic etenim *Auguſtiſſimus princeps*, veluti hanc immortalibus geſtis gloriam addidit, quod, ipſe doctiſſimus, doctos diligeret atque in pretio haberet maximo; *e*) ita PEVTINGERVM prae multis aliis ex elegantiori illo ſtudio tanta beneuolentia eſt complexus, vt *amicum* ſibi atque *conſiliorum participem* eſſe iuberet, eiusdemque litterarios conatus autoritate Caeſarea tueretur. Pertinet autem illud non ad poſtremas *noſtri* laudes ſingulare ſtudium, quo in conquirendis vndique *Romanae vetuſtatis fragmentis*, probante *Caeſare*, verſatus fuit. Ita enim *priſcarum inſcriptionum* erat cupidus, vt, ſicubi vel *Auguſtae*, vel in *agro Auguſtano*, ex veterum aedium ruinis *ſaxa*, *lapides* & *tabulas* marmoreas, *latinis notis* inſcriptas, effoſas fuiſſe inaudiuiſſet, precio illas omnes, nulla ſumtuum ratione habita, auferret. Has vt ab interitu eo certius vindicaret, in *domus* poſthaec *ſuae* arena muro inſertas ſingulas conlocari iuſſit, & penatium, vel fumoſarum auorum imaginum loco ſpectari *). Snperant ad hanc diem *aedes* illae *Peutingerianae*, in quibus ornamentum vrbi, priſtino poſſeſſori perennius

aere

aere monumentum, iucundum vero curiosis atque eruditis aduenis spectaculum praebent *epigrammata* illa antiqua , CONRADI nostri curis a temporis & imperitorum iniuriis laudatissimo sic instituto conseruata. Hoc *Nostri* deinde in *rem antiquariam* studium angustis agri vel ciuitatis Augustanae terminis cohiberi se adeo non passum , vt in Italiam quoque se protenderit. Ex illa orbis Europaei regione adlata PEVTINGERO varia simulachra , atque idola fuisse , *Michael* HVMMELBERGIVS testatur in *epist.* 1513. *XI. Kal. Decemb.* ad *Nostrum* data , in qua simul eundem hortatur , vt eorum designationem orbi erudito exhibeat, his verbis: *Et si iustis occupationibus tantum otii suffurari datur , id omne calamo tribues, & idololatriae , stultaeque gentilitatis* εἴδωλα, *& simulachra illa , quae tibi ex Italia adlata fuerunt, conscribes.*

b) His accommodari possent querelae *Viglii* ZVICHEMI Phrysii , qui in praefatione , *Institutionibus iuris ciuilis* in graecam linguam per *Theophilum Antecessorem* olim traductis &c. *Basil.* 1534. ad *Carolum V.* praemissa , ita loquitur : *At utinam aliquis integrum Pandectarum Corpus in lucem proferat , quod quidem beneficium a Florentina Republica Studiosi iam olim expetiuerunt* : quibus verbis PEVTINGERVS adscripsit : *Imperator Caesar Maximilianus Aug. me Chuonrado* PEVTINGERO , *& Iacobo* SPIEGEL *sollicitantibus per litteras petiit , sed Florentini recusarunt.*

c) Vtcunque sit, *Iuris* studium minime neglexit *Noster.* Argumento sunt *Annotationes* , quas ex optimis Auctoribus se congessisse in *Opus Pandectarum* HALOANDRI , & in ora eiusdem Libri diligenter annotasse ipse PEVTINGERVS testatum reliquit, vti monet OEFELIVS in *Peutingerianis* , easdem *Annotationes* praelo dignas esse pronuncians.

d) Ipse hac de re PEVTINGERVS in *epistola* ad GEORGIVM SPALATINVM, VIII. Kal. Sextil. MDXIII.

 scripta,

ſcripta, modeſte admodum: *Gaudeo me in ſtudioſorum antiquitatis ordinem a te relatum, qui, etſi, vt verum dicam, ex iuſtitiae tenebris pedem aliquando mouerim, promoui vero nihil, aut parum. Laudatio tamen tua, vtcumque ex amore proficiſcens, in vota noſtra eſt recepta.* rel.

e) Confer, quae de ſummi huius *Principis* doctrina, in Doctos propenſione maxima, & meritis in litteratam rem prorſus inluſtribus poſt tot alios copioſe atque erudite congeſſit v. c. IOAN. HENRICVS a SEELEN in *Selectis litterariis* p. 491. 499.

*) Non ſolum antiquas Inſcriptiones *Noſter* avide ſolliciteque collegit, ſed etiam ad harum modum nonnullas ſuo Marte ſcripſit, quas in eo volumine, quod *inferius* §. *IX. n. XXIV.* memoratur, *p.* 11. *&* 12. ſuas eſſe fatetur, & quas ad huius Operis calcem apponere non ineptum iudicaui.

III

Num pari diuturnitatis fortuna cum *lapidibus* memoratis (Nam quid de *ſimulacris* illis & *idolis* ex Italia *Noſtro* allatis actum ſit, nulla omnino indicia extant; id ſi excipias, quod *Capite I.* §. *VIII. n.* 6. monui) gauiſa fuerint, quae, ad *Germanicae* hiſtoriae atque *Antiquitatum* lucem ſpectantia, monumenta plurima idem is impenſa inſigni ſtudioque ſummo conlegit; an vero inſequutis temporibus alios poſſeſſores nacta, adeoque diſperſa fuerint, aut tandem plane interierint, hactenus quidem incompertum habere ſe monet LOTTERVS: ſimulque, hoc conſtare indubia fide, CONRADI *bibliothecam* a *filiis*, *nepotibusque* conſeruatam, & auctam, & ad gentis ſuae *poſtremum*, quem ſupra laudauimus, *Ignatium Deſiderium* hereditatis iure transmiſſam; hoc tamdem fatis concedente, legati titulo ad *reuerendos* olim SOCIETATIS IESV *Patres*, qui *Auguſtae*, perueniſſe. Ab iſtis pulcerrimo ordine ac

cultu,

cultu, peculiari quopiam *Collegii* conclaui custoditam seruari monuit *Lotterus*; nunc autem ea cum *Bibliotheca Collegii* commixta extat. Equidem impetrauit *Lotterus* ab eorundem singulari humanitate atque beneuolentia, vt permitterent clarissimis viris GEORGIO REISERO atque M. TOBIAE LOTTERO, suis cognatis aestumatissimis, quorumque officiis, quae ad suam commentationem conlocupletandam liberalissime contulerunt, se multa admodum debere fatetur, inspiciendi *MStorum* atque λειψάνων *Peutingerianorum* tomos copiam; quorum illi etiam *elenchum* ad eum cum cura transmiserunt. At vero nullam ibi egregiorum medii atque recentioris aeui *historicorum* mentiorem, quorum ἀπογραφα CONRADVM possedisse ipse in *litteris* ad amicos proditum reliquit, *f*) factam fuisse, grauiter, nec immerito dolet LOTTERVS. Ego tamen inter codices manuscriptos huius commatis aliquos inveni, vt sunt: OTTONIS *Frisingensis Chronica*, *Lib. VIII. & de gestis Friderici Imperatoris Lib. IV.* EBERHARDI *Ratisbonensis Chronica*, *Ladislai* SVNTHEMII *Collectanea*; Extat praeterea Codex varia *diplomata* continens, in cuius fronte PEUTINGERVS monet, se id Codicis non sine modica impensa congessisse; & si quae forte sunt alia ejuscemodi. De antiquioribus vero codicibus, quos PEVTINGERVS olim seruauit, quid factum sit, ipse indicauit, dum asseri CHALCYDII sui, typis *Ascensianis* 1520. editi, haec adscripsit: *Habuimus annis superioribus plerosque libros charta pergamena scriptos, quos* CONRADVS CELTES *Protucius Poeta Germanus latinus elegans & eruditus apud nos deposuit, demum universitati Viennensi in Archiducatu*

Auſtriae Teſtamento ſuo plerosque ex his legauit ; quos & nos pia & optima diligentia reſtitui curauimus. Inter hos erat CHALCYDIVS *ille, quem nobis Georgius* WAGNER *manu ſua exſcripſit, & recognoſcendum cum hoc apud Gallos impreſſo inſtituimus, ſi modo fata ſinant. Chuonr. Peut. Auguſtanus* (g). Quidquid interim de illis factum ſit, tum intercidiſſe dolendum, tum ſuperare gaudendum merito eſſet harum litterarum aeſtimatoribus. Hac vero in re, quemadmodum CONR. PROTVCCII CELTIS, LADISL. SVNTHEMII, Canonici Viennenſis, IACOBI MANLII, IOAN. NAVCLERI aliorumque plurium, *h*) qui *hiſtoriae Germanicae* ſtudii inſtauratione (conquiſitis vndique terrarum atque deſcriptis ex principum archiuis, coenobiorumque bibliothecis, rerum in Germania geſtarum *Annalibus*) ſuſcepta eximie de patria meriti fuerunt, exempla imitatus, & duces laborum atque comites ipſos habuit praeſtantiſſimos, quibuscum in gloriae ſocietatem *i*) veniret: ita horum ille induſtriam adhuc multum ſuperauit, & propriam hanc ſibi laudem vindicat, quod, aut omnium primus, aut inter primos certe eſſet ex Germanis, qui cum *annalium* ſedula & curioſa perquiſitione *numiſmatum* etiam ſtudium atque inueſtigationem coniungeret. Huc referas, Lector, velim tum ea, quae ad *Polydori* VERGILII Urbinatis *Hiſt. Anglic. Lib. XXVI. Baſileae*, 1534. editam a PEVTINGERO adſcripta repperit Vir Cl. nec ullis laudibus ſatis depraedicandus OEFELIVS: *Cum nomine Senatus & totius Reipublicae Auguſtanae Vindel. Imp. Caeſ. Carolum V. Aug. Brugis ſalutaſſem; erat tunc ibidem Regis Angliae Orator Thomas* MORVS, *qui mihi numiſmata aurea CC. argentea DC. oſtendit,*

dit, ac volebat, vt ex his peterem, quae vellem. Ego vero nullum vidi, quod prius non habebam, praeter numifma Charaufii, quod & mihi petenti donauit praefente Ludouico VIVES *Hifpano*: tum illa, quae *Michaelis Hummelbergii* Epiftola ad Noftrum 1512. data, in *Appendice* huius *Vitae. n.* 6. ponenda, habet. His adde, *Noftrum* abs *Raymundo Muggero* antiquis numifmatibus donatum effe, id quod OEFELIVS teftatur; fimulque, extare *Catalogos MStos* nummorum omnis aeris, quos vel videre vel poffidere *Noftro* contigit; *aduerfaria* item nummorum defcriptionibus onusta & fubinde data occafione *margines librorum*: feque uidiffe *Pomponii* LAETI *Compend. Hiftoriae Rom.* a *Noftro* nummis in margine copiofe illuftratum. Conlegiffe illum certe *nummos* Imperatorum Romanorum omnium mirabili follertia nec minori fumtu, tum ipfiusmet iterum teftimonio, *k*) tum aliorum, *l*) luculenter patet; quibus explicandis etiam peculiari quodam *fcripto* (Videtur, hoc cum illo opere conuenire, quod infra §. *IX. n. X.* referemus) inedito tamen adhuc operam dedit. Vt adeo & hoc nomine inter auctores atque *inftauratores* illius ftudiorum generis cenferi mereatur, quod, patrum noftraque memoria, ad exterorum vsque inuidiam a *Germanis* cultum, praeftantiffimam hiftoriae, patriaeque rebus lucem contulit.

Sed de his fatis abundeque dictum. Iam ad alia ftudia feueriora conuertamur. Philofophicarum difciplinarum cum iuuenem ftudiofum fuiffe, credibile, tum fenem eisdem operam dediffe, ex *Nota* illa patet, quam ad *Topicorum* libros PEVTINGERVS adpofuit ad V. *Cum mulier viro in manum conuenit, omnia* etc. *Nota*, ait, *hoc arg. quoniam Accur-*

ſius & ſequaces ſuper L. Mulier bona ff. de iure dot. citant Ariſtotelem in Topicis, & corrupte; cum deberent citare Ciceronem hic de arg. ab effectu: rebus cum mulier &c. Et hanc caſtigationem ad petitionem meam, cum praelegiſſem libros Topicorum Ariſtotelis, & locum hunc non inveniſſem, oſtendit mihi Xiſtus BETULEIVS, *vir doctus, municeps meus. Licet prius & legiſſem, & adnotaram; tamen ob ſenectutis molem ultra non cogitaram*: Platonicorum maxime ſcriptorum lectione delectatum fuiſſe, mota haud dubie ab Italis praeceptoribus orexi, id ſatis declarat, quod Exemplaris cum ex editione *Aſcenſiana*, tum *Ficiniana* margines ita *Adnotatis* ſuis onerarit, vt locum fere chartae purae nullum reliquerit; adiectis in fronte operis & ad calcem elogiis & iudiciis virorum doctorum, ſed iis omnibus *Platoni* fauentibus, quibus folia aliquot impleuit (*m*). Legendis vero SS. *Patrum* operibus quantam curam impenderit, multa ſunt, quae declarant; Certe quidquid hodiedum in Bibliotheca *Peutingeriana* extat operum horum, notis in margine adpoſitis inſertum cernitur. In fine *homiliarum D. Chryſoſtomi in Geneſin* ex editione *Ioannis Oecolampadii*, *Baſileae*, 1525. haec adſcripſit: *Legimus Ioannem Chryſoſtomum in Geneſim nocte potiſſimum, utinam ad ſalutem noſtram! lectionem hanc finiuimus* 1528. *die XVIII. Nou. Laus Deo.* Equidem V. Clar. OEFELIVS, cui vt multa alia, ſic & hanc notitiam debemus, obſeruat, ſalutaria certe diligenter, copioſe, & cum iudicio in margine annotaſſe PEVTINGERVM. Quae cum indicent, quo ſtudio in SS. Patrum lectione verſatus noſter ſit, tum, quo id eventu praeſtiterit, plane demonſtrat Opus anecdotum, quod inſcripſit:

Chu-

Chuonradi Peutingeri Augustani Iuris Consulti in D. Pauli Apostoli raptum & de vero corpore & sanguine Christi Conlectiones; quod plenum textibus, quos vocant, e SS. Patrum operibus, transsumptis: tum etiam *Conlectiones adversus Anabaptistas*; adeo vt l[illegible]nis *Patrum* & S. *Scripturae* subsidiis fulto sibi, etiam in *Theologicis* aliquid audendi, potestatem esse putarit. Sed de his infra mentio recurret, vbi *Anecdotorum* catalogum exhibebimus. Quid quod & *Medicinae* studium coluerit, vt mirandum maxime sit, vnius hominis ingenium tot, tamque diuersis studiis par fuisse; Nec enim Medicorum scripta solum peruolutauit sedulo (vt *Notae* scriptis illorum inspersae indicant) sed & suo Marte nonnulla medica elaborauit; vt infra patebit, vbi Opera illius inedita designabuntur: Hic loci id annotare volui, eum *Notas* in *Apuleium de Herbarum medicaminibus* meditatum fuisse, easque doctissimas simul, & elegantissimas; vt fidem facit *Mich.* HVMMELBERGIVS in *Epistola* data VI. *Idus Dec.* 1513. quarum tamen nec vola amplius extat; nisi forte sint *Schediasma* aliquot pagellarum, in *folio*, a *Nostro* scriptum, in quo de *Herbis* ordine alphabetico dispositis Medicorum sententias collegit: vbi primo loco occurrunt: *Acacia*, *Acanthus*, *Acorus &c.*

f) Placet huc integrum, licet prolixiorem, *epistolae nostri* ad GEORGIVM SPALATINVM, cuius modo etiam mentio facta est, locum transscribere; vt melius inde lectoribus constet de dictorum veritate. Ita autem CONRADVS: *Petit illustrissimus Princeps noster, immo tuus* (FRIDERICVS Elector Saxoniae, cognomento *Sapiens*) *vitas Caesarum Ottonum, & Magni filii, & Nepotum Luitolfi, Ottonis & Hermanni; item Gregorii V. Pontif. maximi: diui item Caesaris Henrici Secundi & coniugis*

iugis eius Kunegundis Augustae. Verum has & gesta eorum non accumulatim concinnata, sed undique sparsim collecta habeo, & vltra autores hactenus formis excusos, quorum veterum & recentiorum mihi magnus est numerus; mea diligentia, & etiam non mediocri impensa, exscribi mihi curaui REGINONEM *Abbatem Prumiensem*, OTTONEM FRISINGENSEM, & LVITPRANDVM TICINENSEM, *Episcopos, apud quos Saxones illi tui, vt res fert, haberi solent; quorum etiam meminit Procopius de Gothico bello, Gregorius Turonensis episcopus, & Atto in breuiario suo nuper e Gallia mihi transmisso. Habeo praeterea* PAVLI DIACONI *Foroiuliensis*, VARNEFRIDI *filii, rerum Longobardicarum libros sex*; IORNANDIS *item librum de bello Gothico, & alios plerosque, qui de Germanis Septentrionalibus, veris Nortmannis, plura perscripserunt. Haec omnia non sine impensa magna, & tempore etiam longo, exscribi possent; nec etiam commode eosdem, (si modo non habes) ad te vel alios transmittendos puto, thesaurum meum rerum Germanicarum, quem hactenus ab annis XX. collegi. Quos si ob viarum pericula, vel aquarum molestiam amitterem, tota mea opera, ac quasi harum rerum gloria perderetur. Pauper, quid tunc agendum, non satis perspicerem.* - - GALFREDVS *de rebus Britanniae ad te vadit, eo pacto vt redeat, quem velim remittas. Aliud quidem exemplar non habeo.* rel. IOACHIMVS FRIDERICVS FELLERVS, in *monumentis ineditis*, trimestri I. num. V. p. 46. vbi Catalogum exhibet alphabeticum Scriptorum ad res Germanicas pertinentium, qui vel interierunt, vel in bibliothecis adhuc inediti delitescunt, ad hanc ipsam *epistolam* prouocat, verbis: *Conradus Peutingerus schreibt in einer vngedruckten epistel an Georg. Spalatinum, an.* 1513. *se collegisse ab annis XX. thesaurum rerum Germanicarum.* Vbi quidem duplici nomine minus recte lectorem suum instruit vir doctus. Tum enim *epistola* haec, quam *ineditam* is adpellat, vulgata pridem est a IOANNE FRIDERICO HECKELIO, in *manipulo primo epistolarum MStarum singularium*. Plauiae Variscorum, MDCXCV. carta in octo paginas distributa impressa, vbi tertium illa locum occupat. Tum vero persuadere & sibi & lectoribus velle videtur, ex *epistolae* verbis haud recte expensis, PEVTINGERVM conlegisse *thesauri titulo rerum Germanicarum Scriptores*, ali-

aliquando forsitan typis exprimendos; quum hoc saltim inde pateat, CONRADVM *Scriptores* istos *thesauri loco* habere, cuius iacturam satis aegre laturus esset.

g) Ita V. Clar. OEFELIVS.

h) Meritis propter hanc rem laudibus extulit istos quatuor viros IOANNES CVSPINIANVS, in *vitis Caesarum*, p. 486. vbi MAXIMILIANI Imp. res gestas atque virtutes describit, atque tamdem de *nostro* haec addit: *Conr. Peutingerus, Augustensium Archigrammateus, vir haud indiligens, & antiquitatis studiosus, omni studio curauit vetustissima chronica euoluere, &, quod mentem Caesaris plurimum afficerent, congerere, & principi offerre.* Quae eadem confirmat NICOLAVS BASELLIVS, monachus Hirsaugiensis, in *appendice* ad IOANNIS NAVCLERI *Chronicon*, quam ad annum vsque MDXIV. deduxit, verbis: *C. Peutingerus, Augustensis, antiquitatis amantissimus, historiis veterum Germanorum lumen adhibuit. Ceterum tanta magnificentia in litteris versatur, vt quasi patronum communem ipsae sibi musae gratiaeque delegisse videantur.* Conf. GER. IO. VOSSIVM *de Historicis latinis*, lib. III. cap. X. Opp. tom. V. p. 202.

i) Quanta cura *Noster* vetera *Germanicae historiae* monumenta conquisiverit, testimonio sunt Epistolae *Nostri* ad *Nicol.* ELLENBOGIVM, extantes ad calcem *Sermonum conuiualium* NOSTRI a *G. G.* ZAPFIO, 1781. *Augustae.* publicatorum, p. 138. 145. Consule etiam *p.* 151.

k) Ita noster in *epistola* quapiam ad REVCHLINVM X. Kal. Maii anno MDIII. scripta: *Cura, quod patronus noster Dalburgius* (IOANNEM CAMERARIVM DALBVRGIVM *Episcopum Vormatiensem*, principem litteratissimum intelligit, quo singulari patrono, tum ipse litterae, tum etiam CONRADVS noster vsus est,) *aliquando Caesares suos, vel saltim numismatum inscriptiones ad nos mittat. Sum modo in nostris Sueuis Caesaribus*(explicandis); *in quibus ob incuriam maiorum labore opus maiore est.*

l) IOANNES FRANCISCVS PICVS, MIRANDVLAE *Comes*, in *epistola* Mantua XV. Aug. an. MDVI. ad *nostrum* scripta: *nec ambigo nostrum Henricum* (Augustensem) *non nihil caloris adlaturum ex Italia, ni forte is tardiusculus accesserit, vtpote cui facile remoram adtulerint tot nomismata veterum Imperatorum, quibus onustus ad*

vos

vos proficiſcitur; nec aliam ob cauſſam, quam vt tibi, ſtudioſo antiquitatis, gratificetur. BERNARDIN. TREBATIVS, *Vicentinus*, in dedicatione *Hieroglyphicorum Ori Apollinis* latine abs ſe redditorum, XII. Kal. Maias an. MDXV. ſcripta, ita ad *noſtrum*: *En Orum latinum, ſi modo id ſum conſequutus, exhibeo tibi patrone optime. Sit enim haec tui veriſſima adpellatio. Nam, vt omittam dicere de hominibus, patronus es reipublicae litterariae. Debet tibi omne genus ſcriptorum. Siquidem ſic omnium es ſtudioſus, vt omnes habere velis; conquiras vndique; nonnulli multos annos deſiderati nunc demum tua opera legantur. Hiſtoriarum vero ſeries omnis per te explicatur, ac habent in te viuum exemplar. Antiquitas ipſa nullo magis gaudet alumno. Romani autem Caeſares quem alium malint curatorem? non tibi eorum geſta cognouiſſe ſatis, eos ipſos ſignatos omnes in chartis, aere, argento, ſolido auro demonſtras. Et quod viui non potuerunt, mortui adepti ſunt; vt eodem tempore & iuuenes & ſenes, & in omni aetate quales fuerint, conſpici poſſint.* rel.

m) Ita OEFELIVS, qui inſuper obſeruauit, *Noſtrum* Operi BESSARIONIS Cardinalis *in Calumniatores Platonis* haec adſcripſiſſe: *Opus illuſtre & doctum non legi ſolum, ſed ita diligenter annotaui, vt charta marginis me defecerit.* In *Epiſtola* autem ad *Nicol.* ELLENBOGIVM (Vide Editionem *Sermonum conuiualium* NOSTRI adornatam. 1781. *Auguſtae*, a *G. G.* ZAPFIO, *p.* 145. 146. mire in laudes *Platonis* excurrit, quem *ſe vnice venerari* ait.

IV

Neque minus vel in colendis vel promouendis apud alios illis litteris, quas *optimas*, *humaniores*, *liberales*, *politiores artes* adpellamus, operae noſter poſuit. Praeter haec enim, vt de *latina* prius lingua commemoremus, quod ipſe illam ſatis bene, pro tempeſtate, qua vixit, calluerit, vti ſcripta publice edita oſtendunt: quam latinae linguae notitiam bonorum latinitatis Auctorum lectione ſibi peperit *n*); luculento

to argumento esse putamus, si alia deessent omnia, quo loco habuerit *Romanae linguae* delicias, quod & *vxorem* suam & *filias* erudiri in illa voluerit; cuius quidem rei tum supra iam in *filia* IVLIANA specimen produximus, tum aliud inlustre magis in *coniuge* MARGARITA infra adferemus. *Graecas* vero litteras, quum, pro saeculi illius vitio, iuuenili aetate perdiscere neglexisset, prouectiorem adeptus, adeo neglectus huius poenitentia ductus est, vt non pudere se tantum istius ignorantiae candide fateretur, *o*) sed, REVCHLINI maxime hortatu, vel quadragenario maior illis imbibendis inuigilaret; in quibus etiam haud parum profecit. *p*) *Eloquentia* porro quantum vel ipse valuerit, documento sunt iteratae ad Augustissimos Caesares atque imperii proceres legationes, non certe nisi eloquentissimo cuique mandari solitae; quantum vero illi pretium statuerit, eximius aliquis *epistolae* ad CONRADVM MVCIANVM locus *q*) ostendit. *Poeticam* tandem *artem* illum non nouisse solum, sed calluisse, immo exercuisse frequenter, amicorum *indiciis r*) compertum habemus; licet nondum nobis contigerit vel vnicum in istius aeui Poetarum scriptis, qualia haud parum multa propter hanc rem studiose versauimus, PEVTINGERI carmen deprehendere.

n) Quomodo se Noster ad legendos purioris aeui Scriptores contulerit, ea indicant, quae ad *Epistolarum Ciceronis* Exemplar, *Venetiis.* 1480. excusum adscripsit: *Sile & nota.* 1491.

o) In *Epistola* ad REVCHLINVM, prid. Id. Decembr. MDXII. data, vbi, *erubescere se*, ait, *quod Graecas litteras non didicisset*; circa finem tamen addit; *Simlerum*, (GEORGIVM SIMLERVM, puta, qui Pforzhemii tum humanioribus litteris maxima cum sua laude, & miri-

mirifico doctiſſimorum diſcipulorum prouentu, praeerat) *ipſum hactenus mihi incognitum, virum ex Germanis noſtris numquam ſatis laudatum, & qui nos, poſt te, graeciſſare curat; grammaticam cuius graecam, & in ſeptem Pſalmos interpretationes tuas Thomas Anshelmus, elegans ille chalcographus, ad me miſit, ſaluum optato.*

p) FRANCISCVS IRENICVS, gentilitio nomine *Friedlieb* dictus, itidem Germanicarum rerum praecipuus cultor, in *Exegeſi hiſtoriae Germanicae* lib. II. cap. XLII. fol. XLV. editionis primae eiusdemque rariſſimae, Hagenoae. MDXVIII. exſcriptae, conceptis verbis inter alias laudes ex *Graecae* etiam *linguae* cognitione *noſtrum* commendat: *Sebaſtianus*, inquit, *Brant, & Cunradus Peutinger, imperialium vrbium Archigrammatei, tot rerum diſciplinis cenſentur, vt dubium ſit, an illis hiſtorici, an poetae, an oratoris, an graecae ſiue latinae linguae, an potius iuridica facultate nomen concedas?*

q) Grauiſſima multo eſt & rerum & ſententiarum pondere haec ad MVCIANVM *noſtri epiſtola*, VIII. Kal. Sextil. An. MDXIII. exarata, vniceque in commendando, ex inluſtri REVCHLINI exemplo, politiorum litterarum, *eloquentiae* maxime, ſtudio occupata; ex qua, quum omnia nequeamus, ἀποσπασμάτια ſaltim quaedam huc transſcribimus. Poſtquam vero de miſero bonarum artium illa aetate ſtatu fuiſſet conqueſtus, ita pergit: *Sunt homines plerique in humanas & politiores litteras ita male animati, vt philoſophiam, humani atque diuini iuris ſapientiam, vel alias etiam ſcientias nec latine dici, nec explicari poſſe, arbitrentur. -- -- Sed humanas dico litteras, vt harum ignari, doctrinas maiores impedire putant. Iſti ſunt vtique furoris & inuidiae iacula, turbidorumque affectuum, vt ſcribis, fulmina & tonitrua, quibus bonis aliquando auerſis & perterrefactis, ſoli rerum potiri gliſcunt. Quis ex iſtis Hilarium, Cyprianum, Lactantium -- -- -- vel, vt de noſtris dicam Mirandulanis Comitibus, Ioannes duos, Picum & Franciſcum, Marſilium Ficinum, vel alium quemuis politioris litteraturae theologum imitabitur? pauci ſuſpicor. Priſca illa chriſtiana eruditio quaſi ſemper eloquentiam ipſam cum diuina illa ſapientia coniunctam habere voluit.* rel. Huc etiam tota comparata eſt *noſtri* ad BEATVM RHENANVM *epiſtola*, Auguſtae XIII. Kal. Iul. An. MDXIII. data, quam hic, quum PAVLI CORTESII in

ſenten-

ſententias PETRI LOMBARDI *Commentarios* eodem anno ederet Baſileae, ad operis veſtibulum conlocauit.

r) Sufficiant nobis vel duo grauiſſimi teſtes, viri celebratiſſimi, ANDREAS ALCIATVS & GEORGIVS FABRICIVS. Ille enim, quum *Emblematum* ſuorum libellum *Auguſtam* ad PEVTINGERVM miſiſſet, vt typis ibi mandaret, (quod & praeſtitit; excuſus enim fuit per *Heynricum Steynerum* die 28. Febr. An. MDXXXI. 8. vti ex *primae* huius *editionis* exemplo, LOTTERVS *noſter* ab ANDREA BVTTIGIO ſecum communicato, perſpexit) hanc opellae ad CONRADVM *dedicationem* praefixit:

Dum pueros iuglans, iuuenes dum teſſera fallit,
Detinet & ſegnes chartula picta viros;
Haec nos feſtiuis emblemata cudimus horis,
Artificum illuſtri ſignaque facta manu.
Veſtibus vt torulos, petaſis vt figere parmas,
& valeat tacitis ſcribere quisque notis;
At tibi ſupremus pretioſa nomiſmata Caeſar
& veterum eximias donet habere manus.
Ipſe dabo VATI chartacea munera Vates,
Quae, Chonrade, mei pignus amoris habe.

Qui cum *Commentario*, ſatis profecto leui, *emblemata* haec edidit CLAVDIVS MINOS (Gallice *Mignaut*) Diuionenſis, apud *Chriſtophorum Plantinum Antuerpiae* MDLXXXIV. 16. in poſtremo huius *Epigrammatis* diſticho ALCIATI mentem minime adſequutus eſt. Ad vocem enim *nomiſmata* haec commentatur: *donaria, qualia boni principes conferre ſolent optimis & fideliſſimis Conſiliariis*: & ad vocem *veterum* ita ſcribit: *impertit tibi ampliſſima quaeque artificum veterum manuprecia, ſtatuas ingenioſe effictas*, vel. *non picturam nudam, qualis eſt haec chartacea mea.* Quilibet autem, qui haec noſtra legit, facile, putamus, intelliget, per *nomiſmata* & *veterum manus* ſignificari *nummos Caeſarum antiquos* & *priſcos hiſtoriae patriae Codices*, quos verſandos explicandosque MAXIMILIANVS CONRADO obtulit. Ad ſecundum porro FABRICII teſtimonium quod adtinet, hoc ille ſcripto ſub GERARDI FAVSTI, *Confluentii*, nomine in honorem *noſtri Epigrammate*, in AEGIDII PERIANDRI, Bruxellenſis, *Germania*, ſiue *elogiis Cl. litteris*

in Germania virorum poeticis, Francof. 1567. 8. p. 88. obuio, ita expressiti:

Hunc Augusta dedit, Musae eduxere POETAM,
Res fecit charum publica Caesaribus.

V

Delineata sic autem vtcumque, quam possedit noster, doctrinae amplissima facultate, progredimur ad *ingenii monumenta* enarranda, quae vel *proprio* ipsius, vel *aliorum* stilo consignata, hoc PEVTINGERI maxime officiis debent, quod publica fruantur luce, & eruditorum manibus versentur. Haec vero cognitio, quum non vtilis minus, quam iucunda, studiosis futura nobis videatur, operam dabimus, vt, quantum fieri potest, plena atque curata illorum *notitia* heic exhibeatur; adeoque nihil praetermittamus temere, quod quidem ad *librorum singulorum* argumentum, varias editiones, commentatores & similia rite pernoscenda adtinebit; hunc denique in recensendo ordinem tenebimus, vt primo ea, quae *Lotterus*, tum vero ea, quae *nos* sollicita indagatione inuenimus, accurate enumeremus.

I. *Romanae vetustatis fragmenta in Augusta Vindedelicorum & eius dioecesi. Anno Christ. Salut. M. D. V. VIII. Kls Octobr. Erhardus Ratoldus Augustensis impressit. fol.* plag. 3. & dimidia. *s*)

In praemissa ad lectorem *praefatione* XV. Kls Octobr. eiusdem anni scripta docet PEVTINGERVS, se haec *Romanae vetustatis inscriptionum fragmenta in urbe Augusta & eius Dioecesi* iussu mandatoque diu. Imp. MAXIMILIANI, non

fine

ſine ope venerandae *Societatis litterariae Auguſtanae*, *t*) perquiſita atque conlecta, ERHARDO RATOLDO *u*) *artis impreſſoriae opifici diligenti & docto* ſua impenſa imprimenda dediſſe; quod etiam ille nouis formis atque maioribus, iucundiſſimo litterarum charactere *x*) effeciſſet. Plura daturum ſe ceterum fuiſſe, niſi tum vetuſtatis iniuria ipſi *lapides* detriti, conlapſi, obruti eſſent, tum inſcitia & negligentia ſuae aetatis hominum maximam illorum partem perdidiſſet, qui vel igne illos in calcem ſoluerunt, vel pro fundamentis aedificiorum poſuerunt. Sequitur praefationem IOANNIS *y*) FOENISECAE) *Auguſtani*, alias *Maderi* dicti) ad editorem *epigramma*, quod hoc eſt:

Quid tibi pro tanto referamus munere ciues,
qui veterum nobis vndique ſaxa legis.
Nullum te ſiquidem monumentum praeterit vsquam;
hortus, porta, domus, porticus iſta docent.

et *Anonymum* aliud *de Perlegia, qui eſt locus in media Auguſta in foro publico.* Ipſae *inſcriptiones* numerum XXII. non excedunt, inter quas *tres* ipſe tunc in *aedibus* ſuis iam conlocatas habuit PEVTINGERVS. Subiungitur ad calcem *oratio Julianae ad Caeſ. Maximilianum*, de qua ſuperioris capitis articulo VIII. quod ſatis eſt, diximus. Excepit hanc *primam* editionem poſt aliquod intervallum *ſecunda*, hoc indice inſignita: *Inſcriptiones vetuſtae Romanae & eorum fragmenta in Auguſta Vindelicorum & eius dioeceſi; cura & idiligentia* CHVONRADI PEVTINGER *Auguſtani antea impreſſae, nunc denuo reuiſae, caſtigatae & auctae: excuſae in edibus Ioannis Schoeffer, Moguntiae menſe Auguſto an. MDXX* fol. *z*) quemadmodum autem

 ſequen-

ſequenti tempore, quod ſupra innuimus, congerendis pluribus huiusmodi *lapidibus* ſumtum omnem atque operam impendit *noſter*; ita, ſaeculo fere integro praeterlapſo, inluſtre non inter *Auguſtanos* tantum ſuos, ſed inter eruditionis etiam aetate illa principes, nomen, MARCVS VELSERVS *nouam* illarum *editionem* parauit, hoc titulo inſcriptam: MARCI VELSERI *Matthaei F. Inſcriptiones antiquae Aug. Vind. duplo auctiores quam antea editae, cum notis; cum priuilegio. Venetiis.* an. CIↃIↃXC. *apud Aldum*, quarti ordinis forma. Continentur hoc opere tum XX illa II. *epigrammata* PEVTINGERI; tum, quae recens addidit VELSERVS, in *tres* claſſes diſtributa. *Prima* ſolas inſcriptiones in ipſa *vrbe Auguſtana* effoſſas complectitur; *ſecunda* illas, quae in *agro Auguſtano* repertae fuerunt, ſiſtit; *tertia* denique *peregrinas* oſtendit, in quibus vel *Auguſtae* vrbis, vel *Raetorum*, vel *Legionis* III. mentio facta eſt; ſingulae autem eruditis, vbi res poſtulabat, *Commentariis* inluſtrantur. *a*) Poſthaec, quum, quadriennii ſpatio expleto, typis *Venetis* ſuos *de rebus Auguſtanis Commentarios* octo libris idem ille vir celeberrimus primum ſubmiſiſſet, retractauit ſimul haec *monumenta*, & mutatis, correctis, additis haud paucis, *appendicis* inſtar illis adiunxit. Denique, *vltimum* impreſſa illa fuerunt inter vniuerſa VELSERI *opera*, CHRISTOPHORI ARNOLDI ſtudio vulgata. *b*) Ceterum, hoc vnum, ne quid notitiae deſit, addimus, clariſſimum apud Auguſtanos Philologum MATTHIAM FRIDERICVM BECKIVM, quum *Monumenta antiqua Iudaica Auguſtae Vindelicorum reperta*, ibidem an. MDCLXXXVI. forma octopertita emitteret,

man-

mantiſſae titulo adtexuiſſe III. *Monumenta Romana in Supplementum operis Velſeriani*, inter quae duo priora in *Peutingerorum aedibus* adhuc exſtare ſignificat, a filiis forſan comparata. Impraeſentiarum vero nulla ratione omittendum cenſeo, quod, quemadmodum *Noſter* in iſto litterarii laboris genere anteceſſorem habuit nullum; ita ei ſoli hoc gloriae debeatur, quod primus inter Eruditos extitit, qui *Romanae Antiquitatis* monumenta in patrio ſolo extantia, colligenda vulgandaque ſibi ſumpſerit. Aduertit idipſum ante me *Io. Georg.* LOTTERVS, qui in *Epiſtola ad Io. Georg. Schelhornium de edendis Peutingeri Opuſculis*, clariſſimi alias nominis Virum, *Petrum Burmannum* (in *Praefatione* ad *Iani Gruteri Theſaurum Inſcriptionum*) cuidam *Iacobo Mazzochio*, ob edita anno MDXXI. *Urbis Romae Epigrammata*, in hoc ſtudii genere Anteſignani laudem tribuentem, pluribus confutauit. Non vero imitatoribus caruit hoc inſtitutum; quin potius tam inluſtri exemplo excitati quamplures praecipuarum Germaniae vrbium eruditi incolae veteris aeui reliquias marmoreas ſummo ſtudio conquiſiuerunt, & commentariis ſubinde doctis inluſtratas publicarunt. *c*)

s) Meminit huius editionis MICHAEL MAITTAIRE, *Annalium typographicorum* tomo I. p. 173. Perilluſtr. *de* STETTEN in commentatione *de Scriptoribus rerum Auguſtanarum* aliam huius operis editionem anno 1508. Auguſtae per eundem Typographum factam memorat. Videtur equidem in annorum numerum mendum irrepſiſſe, & loco 1508. annum 1505. ponendum; id tamen ut certum affirmare nolim.

t) De *Societatis litterariae Auguſtanae* origine ac fatis neminem nos quidem, qui expoſite docuerit, adhucdum nouimus. Interim, ſi quid coniectura valemus,

aut *filiam* illius *Societatis*, quam CONRADVS CELTES promouendo humaniorum litterarum & Germanicae inprimis historiae studio, sub *Rhenanae* aut *Celticae* nomine, condidit, aut *aemulam* certe existimauerimus. Vnam eamdemque haud fuisse certum est, quum conceptis verbis *Augustana* appellata sit a PEVTINGERO. Idem ille *socios* in *praefatione* laudat, tam *maioris ecclesiae canonicos*, *quam conciues alios*. Hi autem fuerunt MARQVARDVS DE STAIN, Ecclesiae Bambergensis Praepositus, MATTHAEVS MARESCHALLVS DE PAPPENHEIM, I. V. D. & Canonicus Augustanus, nobilissimum porro fratrum germanorum par, BERNARDVS & CONRADVS ADELMANNI AB ADELMANSFELDEN, Equites Sueui ac itidem Canonici, CONRADVS PEVTINGERVS atque GEORGIVS HERBARTVS itidem Augustanus. Iidem illi peculiarem sibi *tabernam librariam* redemerunt, ex qua, conlata opera atque impensis scriptores aliquot in publicos vsus edi curauerunt. Haec LOTTERVS, qui, quum per temporis atque chartae angustiam sibi tum haud licere curatius in hoc argumentum inquirere monuerit, seruare illud commodiori tempori, vbi Historiam huius Societatis magis diligenter commentaturus esset, statuit: Verum post multifarios irritae indagationis labores, in *Epist. ad Io. Georg. Schelhornium de edendis Peutingeri Opusculis* saepius iam a me citata, nullam imposterum dictae *Societatis*, quam breui post ortum suum tempore rursus dissiluisse autumat, *historiam* a se exspectari vel debere vel posse dolens monuit. Forsitan ad hanc *Societatem*, seu *Faedus litterarium* allusit *Noster*, dum in *Epistola* sua 1513. ad *Mich.* HVMMELBERGIVM data (V. *Appendicem* huius *Vitae*, *n.* 15.) scribit: *designatus sum ad Caesarem pro Confoederatis meis Orator*. Consule, quae superius *C.* I. §. *V.* annotaui.

u) De *Erhardo* RATDOLT vide meam *Diatriben de Orig. & Increm. Typograph. August.* praefixam *Annalibus Typograph. August.* p. XXXV. vbi fusissime de illo egi.

x) In exemplo editionis, quod in *bibliotheca* Academiae Lipsiensis *Paullina* oculis vsurpare *Lottero* licuit; alter, qui praefationem sequitur *Inscriptionum* index, aureis

aureis litteris artificiose pictus est. Num idem in omnibus factum sit exemplaribus, dicere non habemus.

y) Doctissimi huius viri varii generis opuscula recenset GESNERVS in *bibliotheca.* conf. STENGELIVM l. c. p. 258. De hoc plura habeo congesta in mea *Bibliotheca Augustana.*

z) Vide *Catalogum MStorum Angliae & Hiberniae* tom. I. part. I. p. 162. n. 3339. & MAITTAIRIVM *Annal.* tomo II. p. 598.

a) De instituti vsu & ratione ita inlustris *editor* in praefatione: *Optimus & fortissimus Imperator Maximilianus maior ante annos plus minus XC haec primum C. Peutingeri opera colligenda & publice edenda curauit. Quod factum nulla vmquam nostrorum hominum pietas compensabit. -- -- Magnum ergo exemplum aemulatus, quidquid Peutingeri complectebatur editio, vulgaui iterum: adieci, quae post Peutingerum lucem adspexere, aut quae alias inquisitionem hominis diligentis effugere: praeterea, quae extra limites Augustanos res nostras quoquo modo tangunt: notas denique non omnino otiosas*, rel.

b) *Norimbergae* MDCLXXXII. fol. vbi pag. 357. — 436. occurrunt.

c) Vel vnum inter primos iam exempli caussa adpellamus IOANNEM HVTTICHIVM; qui, quum *Collectanea antiquitatum in vrbe atque agro Moguntino repertarum, Moguntiae ex aedibus Ioannis Schoefferi Mense Martio* MDXX. fol. plag. 10. vulgaret, ita in *dedicatione* operis ad THEODORICVM ZOBEL, *ICtum, aedis Moguntinae Scholasticum*, scripsit: *nolui credere illis, qui descripsere* (monimenta), *sed ipse omnia meis oculis inspexi, & an syncere omnia depicta fuerint, laboriose perlustraui; imitatus in hoc Chunradum Peutingerum Augustanum, iuris doctorem, & perquam sollicitum antiquitatis & historiarum indagatorem, qui ante me Augustae Vindelicorum omnia, quae potuit, perquisiuit diligenter, &, ne corroderentur iniuria temporum, excussioni dedit.*

VI

II. *Sermones Conuiuales, in quibus multa de mirandis Germaniae antiquitatibus referuntur; ex officina*

cina litteratoria Ioannis Prus, *Argentinae*, *in aedibus Thiergarten*, *recognoscente Matthia Schurerio*, MDVI. 4. praemisso *d*) perbreui SCHVRERII *Correctoris* praeloquio, quo hosce *Sermones*, *tamquam ambrosiam & nectar spirantes*, commendat; sequitur VDALRICI ZASII, Iuris doctoris Friburgensis, ad VOLPHIVM *Iuniorem* epistola, sine die & Consule, in qua amplissimae, tum auctoris PEVTINGERI, tum VOLPHII, qui editionis ἐργοδιώκτην sese praebuerat, laudes continentur, atque tandem ZASII *pro liberata Germania epigramma hexastichon* subnectitur *e*). Excipit hoc alia PETRI (BONOMI) *Episcopi Tergestini* ad MATTHAEVM LANGIVM, *Praepositum Augustensem & Caesaris Consiliarium epistola*, *Oenipont*e XV. Kal. Ian. an. MDIV. perscripta, eiusdem fere argumenti; encomio scilicet & *operis* & virtutum *auctoris* vnice occupata, cui apud posteros non paruam inde gloriam pollicetur. Ipsorum *sermonum* auspicium facit CONRADVS blandissima eiusdem LANGII, quem *patroni* passim titulo salutat, *compellatione*, qui quidem *Symposiarcha* atque autor epuli illius fuerat, quo, veterum exemplo, de varii generis rebus disputationes instituerant conuiuae, IOANNES CAPER, theologiae doctor, & Canonici BERARDVS VALDKIRCHIVS, & HIERONYMVS LOCHNER; SEBASTIANVS ILSVNG patricius ac iurium doctor, & denique praeter PEVTINGERVM IOANNES IVNG senior, & IOANNES OTTO, medicae artis professores; quarum quidem disputationum summa praesenti opusculo exhibetur. *Quatuor* autem omnino sunt *capita*, de quibus inter nostros δειπνοσοφιστὰς tum disceptabatur. I. LEONIS VIIII. Pontif. Max. testi-

testimonio comprobatur *ossa diui Dionysii Areopagitae non in Gallia, sed Ratisponam inde translata, ibique ad sanctum Emeranum condita fuisse.* II. *Paullum Apostolum f) vxoratum exstitisse*, quodam *epistolae D.* IGNATII *Martyris ad Philadelphienses* loco euincitur. III. ex veterum quorumdam auctorum PLINII, MELAE, & aliorum relationibus adseritur, *Indiae Orientalis incolas* pridem, vel tempestatis vi compulsos, vel commerciorum caussa, *ad occidentalium Germanorum littora subinde adpulisse*; neque adeo insoliti aliquid committere *Lusitanos*, qui hac tempestate primi illorum oras ob idem negotium frequentare tentauissent. IV. Denique eoque amplissimo capite, & quod maximam libri partem absoluit, praeeunte exemplum IACOBO VIMPHELINGIO, operose, & cum insigni doctrinae reconditioris adparatu demonstratur: *Quod cisrhenanae ciuitates ab Agrippina ad Argentinam & aliae a C. Iulii Caesaris Dictatoris & superiori tempore non Gallis, sed vel germanis, vel Romani imperii Caess. Augg. vel regibus semper paruerint.* Additae tamdem sunt ad calcem SEBASTIANI BRANDII, THOMAE AVCVPARII & RINGMANNI PHILESII amicae προσφωνησεις. Abstinemus merito ab huius operis delineatione, quod existimemus, neminem fore inter patriae antiquitatum studiosos, quibus aut non lectum pridem sit atque cognitum, aut legi saltim facili opera possit. Praeter enim quod anno MDXXX. denuo typis *Argentinensibus* excusum g) prodierit, cuius editionis exemplum in Bibliotheca Ienensi adseruari *Lotterum* docuit celeberrimus vir CHRISTIANVS GOTTLIEB BVDERVS, fautor eius optimus; exstitit posthaec etiam SIMON SCHARDIVS, qui a com-

muni tenuioris molis opuſculis fato, vt cito nempe diſpareant hominum oculis, illud prohiberet, atque *Scriptorum Germanicae hiſtoriae* volumini I. inſereret. *h*) Integro tandem ſaeculo praeterlapſo eius iterum ſigillatim edendi conſilium cepit *i*) CASPAR SAGITTARIVS, V. C. qui vero quum, qua de cauſſa haud conſtat, denuo iſtud abiiceret, *k*) conlega ipſius itidem clariſſimus, GEORGIVS SCHVBARTVS, additis aliquot ſimilis argumenti coaeuorum commentariolis *Ienae* in 8. *Sermones* hoſce *conuiuales* praelo ſubiecit apud *Tobiam Oehrlingium* Bibliopolam (qui libellum *Zachariae* ZELLERO *Thorunienſi* anno MDCLXXXIV. XX. Decembr. ſuo nomine dicauit) praemiſſa eleganti admodum *anteceſſione l*) in qua tum de PEVTINGERI vita & *Libri* huius *pretio* erudite fuit commentatus; tum vero quaedam etiam de *Conradi* MVTIANI RVFFI, & *Hermanni Comitis* NVENARII meritis commemorauit. Nouiſſime hos *Sermones* rurſus edere ſecum conſtituit *Georg. Guilielmus* ZAPF, eosque *Petro de* CHINIAC, *Capitularium Regum francorum Stephani* BALVZII nouo Editori, dedicatos *Auguſtae* 1781. vulgauit, adiectis *Epiſtolis* aliquot *anecdotis* CONRADI noſtri, & *Nicolai* ELLENBOGII Caenobitae *Ottoburenſis*, in orbe litterario notiſſimi.

d) CRVSIVS *Annal. Sueu. p.* 3. *l.* 8. *p.* 527. GESNERVS *Bibl. vniuerſ. p.* 185. De hac prima Editione vide BLAVFVS *Nachrichten von ſeltenen Büchern*, *Tom. II. p.* 13.

e) V. ZASII *Epiſt. a Io. Ant. de* RIEGGER editas, *Vlmae.* 1744. *p.* 388.

f) Haec *ſecunda* quaeſtio turbas conciuit *Noſtro*, & quendam ex Religioſis infenſum ei reddidit, qui *Noſtrum* publice pro concione ſuper ea re diffamare auſus eſt. Plura

ra habes, lector! *inferius* in *Appendice* huius *Vitae*, *Epistola* IV. & V. Variae autem sunt tum Veterum tum Recentiorum *de Pauli Coniugio* sententiae, aliis negantibus, aliis affirmantibus. Attamen pars maxima Theologorum Paulo virginitatis honorem adiudicat. Non est propositi argumenti, de hac quaestione prolixius disserere; quare consule (si lubet) *I. B.* COTELERII *Patres Apostol. Tom.* II. & *Augustini* CALMETI *Comment. in S. Script. T. VIII. p.* 154. 161. vbi illa fusius tractatur. Minime vero hic omittendum est, locum a *Nostro* ex *S. Ignatii Epist. ad Philadelphenos*, ad probandum *Pauli* coniugium, desumptum parum vel nihil euincere; cum illa *Epistola Ignatiana* abs Eruditis aevi posterioris interpolata esse, ex grauibus argumentis censeatur. Hisce te praemunire volui, lector! aduersus supra memoratas *duas Epistolas* IV. & V. in *Appendice* occursuras.

g) In fronte Exemplaris huius Editionis, anni scilicet MDXXX. quod in Bibliotheca Collegii Societ. Iesu Augustae vidit OEFELIVS, adscripsit *Noster: Hoc opus est a me pluribus in locis retractatum & auctum; sed non formis denuo excusum.*

h) Vbi in editione *Basileensi* prima, An. MDLXXIV. fol. vulgata, p. 407. — 424. leguntur.

i) Constat hoc ex clarissimi Lipsiensium Polyhistoris FRIDERICI BENEDICTI CARPZOVII *epistola* ad *Sagittarium* An. MDCLXXXI. d. XVI. Decembr. scripta, & a Cel. B. G. STRVVIO in *Actis litterariis ex MStis erutis* tomo I. fasciculo II. n. V. seruata, vbi p. 119. ita habetur: *Peutingeri sermones, quos cum Nuenarii Francicis originibus te editurum nunciasti, aueo quam primum editos iterum conspicere. -- -- Huic opusculo quidam Rhenani, Pirkheimeri, Hutteni, vel aliorum, qui particulas historiae veteris Germanicae stilo politiori condiderunt, possent subiungi*, rel.

k) Interim tamen factum est, vt quum fama circumlatum fuisset SAGITTARIVM editurum esse *sermones*, vbi illi tamdem prelo liberati exiissent, ipse praefationis additae *auctor* aliquibus haberetur. Confer doctissimi Viri, IOAN. HENRICI ACKERI praefat. ad *Selecta poetica.*

l) Immo vero vel ipse stili cultioris habitus SCHVBARTVM auctorem indicat. Interim adsunt etiam grauissimi

uiſſimi rei teſtes, doctiſſimi duo ſcholae *Schubartianae* alumni, quos modo laudauimus, STRVVIVS atque ACKERVS, quorum hic, quum *epiſtolas ac praefationes Schubarti* Ienae MDCCXVII. 8. ederet, illam ipſam faſc. II. p. 33. ſ. iterum exhibuit; illius vero ſuffragium protulit vir eruditus, DANIEL EVERARDVS DOLPIVS, in *breui vitae Schubarti narratione*, ipſius] *de ludis equeſtribus* Commentario, Halae MDCCXXVII. 4. praefixa, p. 12.

VII

Pergimus ad reliqua leuioris molis *opuſcula* enarranda, quae inter, ordinis iuſta lege ſeruata, ſequitur iam:

III. *Celeberrimi viri D. Chonradi Peutingeri, Auguſtani, Iuris utriusque doctoris, & oratoris diſertiſſimi, Oratio pro Sacro Sancti Romani Imperii ciuitate Auguſta Vindelicorum, Imp, Caeſ, Charolo ſemper Aug, Brugis in Comitatu Flandrenſi pronuntiata.*

Haec eſt illa *noſtri Oratio* ad CAROLVM V. *Caeſarem* anno MDXIX. VII. Kal. Auguſti habita, de qua iam *capitis* I. *artic.* VII. quaedam nos dixiſſe meminimus. Litteris illam *Antuerpienſibus* non multo poſt exſcribi curauit PETRVS AEGIDIVS, *ab actis curiae Antuerpienſis*, qui in praemiſſa ſimul *praefatione* conſilii huius ſui rationes grauiter commendat. *m*) Ipſum orationis argumentum in exponendis ſuccinctim *auguſtiſſimorum Caeſaris ex domo Habsburgica maiorum*, atque ipſius CAROLI, laudibus verſatur maxime. Excipit hanc

IV. *Conradi Peutingeri epiſtola olim ſcripta ad reuerendiſſimum in Chriſto patrem & dominum, D. Bernhardinum Caruaſalum, epiſcopum Tuſculanum,*

S.

S. Sanctae Romanae ecclesiae Cardinalem titulo S. Crucis , patriarcham Hierosolymitanum , & D. Iulii II. Pont. Max. ad D, N, Regem Maximilianum Augustum a latere legatum ; Augusta Vindelicorum XV. Kal. Ianuarii anno humanae salutis MDVII. *data.* Hanc *Antuerpiae* anno MDXXI. typis vulgarunt *Simon Cocus & Gerhardus Nicolaus , ciues Anduerpienses , commorantes in vico vulgariter nuncupato die Bokstege.* Prolixiori hac *Epistola* Caesarum Germanorum exempla adferuntur , quorum insignis erga Pontificem Romanum studii atque obseruantiae exstant documenta. Ceterum quanto minus frequens hactenus fuit apud litterariae rei studiosos vtriusque huius *Peutingeriani Monimenti* , *Orationis* puta atque *Epistolae* modo iam recensitae , cognitio ; ita vt haud meminerimus vmquam , vel vllum ex illis , qui de PEVTINGERO dixerunt , illarum notitiam possedisse ; tanto maiores gratias nobiscum habituros confidimus huiusmodi cognitionis curiosos lectores insigni inlustris viri , VOLFGANGI IACOBI SVLZERI , *Senatoris Augustani* , beneuolentiae ; qui vtriusque *n*) *rarioris* huius κειμηλιυ , non tantum notitiam primus & vnus omnium cum *Lottero* communicauit , sed integrum insuper vtrumque descriptum ad eum transferri gratiose indulsit.

V. *De inclinatione Romani imperii , & exterarum gentium , praecipue Germanorum commigrationibus , epitome..* Breue hoc meletema , *o*) quod quidem vix dimidiam maximae formae cartam impleat , BEATI RHENANI precibus inductus composuit *noster* , vnde posthaec editioni PROCOPII *de rebus Gothorum , Persarum*

rum ac Vandalorum Basileensi, curante eodem RHENANO, a *Ioanne Heruagio* anno MDXXXI. paratae, pagina DCLXXXVII. & sequenti insertum legitur; denuo a SCHVBARTO & *G. G.* ZAPFIO cum *Sermonibus conuiualibus* vulgatum. Interim falsos esse simul hinc constat ex biographis *nostri* quamplures, qui separatis tituli, quo hoc schediasma inscriptum est, partibus, *duos* inde *peculiares libellos* effinxerunt; ita, vt vnum *de imperii inclinatione*, alterum *de gentium migrationibus* CONRADVM edidisse persuadere lectoribus suis perperam sustinerent.

VI. *Tractatum de fortuna* vulgares ipsi adscribunt iterum Βιβλιογνωσιας consulti. *p)* Neque hoc satis recte; quum nullibi istiusmodi scriptionis ab illo vulgatae exstet siue vola siue vestigium.

VII. *Duos* alios *libellos* eidem tribuit *Christ. Gottl.* IOECHER in *Gelehrten-Lexicon. Tom. IV. p.* 1477. 1. *Germaniae ex variis scriptoribus perbreuis Explicatio.* 2. *De Bello Bohemico*; At vereor, ne eadem horum sit ratio, atque illius: *de fortuna.* Certe primi libelli, qui est *Germaniae* &c. *perbreuis Explicatio*, auctorem non PEVTINGERVM, sed *Bilibaldum* BIRCKHEIMERVM esse satis constare videtur.

VIII. Aliquot abhinc annis V. Cl. *Andreas Felix* OEFELIVS Biblioth. Monacens. &c. inter *Scriptores Rerum Boicarum, Tom. I. p.* 613. *seqq.* vulgauit *duo Chronica ex schedis Nostri*, promicondi, vt eum vocat, antiquitatum omnium. 1*mo. Breue Chronicon Boioariae & Sueuiae ab ao Xti* 906. *ad* 1280. 2*do. Breue Chronicon Augustanum ab ao Xti* 1256. *ad* 1467. Vide quae *inferius* §. *X.* a me dicentur.

IX.

IX. In Bibliotheca *Bünauiana* ſequens reperitur opuſculum, *Noſtri* cura verſum: *Io.* OECOLAMPADII *von Austheilung des Almoſens in Latein beſchrieben* (anno 1523.) *verteutſcht durch Chunrad Peutingern. Baſel.* 1524. Vide memoratae *Bibl. Catalog. Tom. III. p.* 1154.

X. His adde, quae PLACCIVS in *Theatr. Anonymorum & Pſeudonym. n.* 1826. de *Noſtro* memorat his verbis: „ Chronici parui Auguſtani (ita „ allegant; quia nomen non praeſcriptum) *von* „ *viel und mancherley Hiſtorien in viel Landen*, *und* „ *Gegenden geſchehen von dem Iahr* 903. *bis auf* 1521. „ auctor dicitur *Chunradus* PEVTINGER I. C. „ apud GOLDASTVM *de bello bohemico l.* 4. *c.* 8. „ §. 3. *p.* 473. „ Vide, quae *inferius* §. *X.* a me dicentur. Cum PLACCIO conſentire videtur IOECHER in *Gelehrten-Lexicon*, vbi *Noſtro* tribuit opus *de Bello Bohemico*, prout *ſupra n. VII.* monui. Hic ipſe IOECHER *Noſtro* etiam adſignat, & merito quidem

XI. *Acta Comitiorum Eſslingenſium*, de quibus ſupra *Cap. I.* §. *V.* egimus.

XII. *Sermo de Praeſtantia artis muſicae.* Reperitur hic *ſermo* in libro, qui adſeruatur in Odeo ad *S. Annam* Auguſtae ſub titulo ſequenti: *Liber ſelectarum Cantionum, quas Mutetas appellant. fol.* 1520. Vide *Annales Typograph. Auguſtanae*, *p.* 79.

XIII. *Epiſtolae* ad *Ioann.* REVCHLINVM 1501. verius 1499. IV. Kal. Februarii: ad *eundem* 1503. X. Kal. Maji: ad *eundem* 1512. pridie Idus Decembris: ad *Conradum* MVTIANVM ICtum 1513. VIII. Kal. ſextilis datae, extant in Libro: *Illuſtrium Virorum Epiſtolae ad Ioannem* REVCHLINVM. 4*to. Hagenoae.* 1519.

XIV.

XIV. *Epistola ad Georg.* SPALATINVM inuenitur in *Manipulo Heckeliano.* I.

XV. *Epistola ad Bilibaldum* BIRCKHEIMERVM. Hanc e tenebris produxit *Ioann.* HEVMANNVS Iuris in Academia *Altorfina* Professor, in *Documentis litterariis.* 1758. in 8. editis. *pag.* 119. 120.

XVI. *Epistolae tres ad Nicolaum Ellenbogium*, Monachum *Ottoburanum* extant ad calcem *editionis Sermonum conuiualium Nostri*, a *Georg. Guil.* ZAPF. 1781. adornatae. Taceo deliberato Epistolas, quas *Noster* in modum *Praefationis* vel *Dedicationis* Libris praemisit; vti etiam illas *XV. Anecdotas*, quas in APPENDICE, *inferius* exhibeo.

m) His potissimum ad *optimos lectores* verbis: *operae compendium mihi facturus videor, si orationem D. Chounradi Peutingeri, oratoris Augustani, iuris vtriusque callentissimi, praeterea omnis antiquitatis indagatoris & solertissimi & diligentissimi, formulis curarem excudendam; quae, licet publicitus apud Imperatoriam Maiestatem Brugis ab eodem, applaudentibus cunctis, dicta fuerit; tamen conuenire mihi visum est, eam non ab vno & altero, sed ab omnibus lectitari; vt & nostri quoque oratores hunc salutandi & gratulandi morem, diu intermissum, aemulentur.* rel. Conf. FREYTAGII *Analecta literaria de libris rarioribus p.* 669. *seq.*

n) Neque vero etiam alterutrum cognitum fuit sollertissimo harum typographicae artis deliciarum indagatori, clarissimo MAITTAIRIO. Conf. FREYTAG. *l. c. p.* 670.

o) Vide GESNERI *bibliothecam vniuers.* p. 185. a.

p) ADAMI; & qui hunc transscribunt fere FREHERVS atque TEISSIERIVS.

VIII

Equidem, quas modo adpellauimus, *lucubrationes* hoc non efficiunt, vt superbum *polygraphi*

graphi

graphi nomen meruisse *noster* dici possit. Interim, quum voluminosa opera, si cetera quidem desint; immortalitatem suis praestare haud semper atque gloriam soleant auctoribus; vel *minutilis* etiam hisce *libellis*, praestantissimam doctrinam complexis, abunde reliquit CONRADVS, quo versatum se inter mortales olim posteritati testaretur. Immo vero facilem ex amplissimae ipsius eruditionis copia coniecturam facimus, pluribus forte illum *ingenii proprii monimentis* publico bono consulturum fuisse; nisi negotialis idem maxime vitae ratio, & medium praesertim, atque optimum studiis, aetatis tempus Imperatorum aulicorumque officiis, legationibus frequentioribus, domesticis item curis amicorumque negotiis nimium distentum, impediuisset. Quid quod adeo non inter haec omnia litterariae rei commoda ex animo deposuerit, vt potius de illis prouehendis, sicubi otium superesset, semper cogitaret. Fecit hoc praeter cetera in primis, dum *aliorum* quoque *scripta*, quae lucem ipsi publicam meritura censebantur, *antiquiorum* non minus quam *recentiorum*, typis vulgari iuberet; quorum quidem haec potissimum, ne publicata ipsius cura an. MD. *Acta Comitiorum Esslingensium*, de quibus *primo* iam *capite* dictum est, & ALCIATI *Emblemata*; quorum paullo ante facta fuit mentio, denuo commemoremus, ad nostram in praesens notitiam peruenerunt:

I. GVNTHERI *Poetae Ligurinus*, *s. de gestis diui Friderici primi, libri decem: impressi per industrium ac ingeniosum* ERHARDVM OEGLIN, *ciuem Augustensem, mense Aprili* MDVII. fol. (Aug. Vind.) hunc Poetae, inter illos qui latine scripserunt, sua aetate praestantissimi foetum, a

CONRADO primum CELTE in *coenobio Eberacensi*, quod eſt in *Franconia*, detectum, prima *Societas litteraria Auguſtana*, alio loco nobis laudata, in manus hominum typorum beneficio ſuis impenſis emitti curauit, maximo operis exſiſtente ἐργοδιωκτῃ PEVTINGERO, quem praemiſſae *anteceſſionis* auctorem eſſe conſtat. *q*) *Ligurino* ſubnectitur Epiſtola CONRADI ad *Maximilianum* Caeſarem, in qua poſtea quam Maiores *Ottonis Friſingenſis* Epiſcopi, illiusque Opera enumeraſſet, eaque propediem Caeſare approbante abbreuiatione quadam publicaturum ſe promiſiſſet (certe in margine Codicis *Ottonis Friſingenſis*, quem in Bibliotheca Collegii Soc. Ieſu extare ſupra docui, ſaepius ad oram PEVTINGERI manus occurrit) monet, voluiſſe ſe *Ligurino* ſubiungere *Epiſtolam Friderici I. Caeſaris ad Ottonem*, qua res a ſe geſtas eidem exponit. *Epiſtolam* itaque PEVTINGERI, illa *Friderici I.* ſubſequitur. Hanc vero CONRADI PEVTINGERI *de ortu, genere, & poſteris Imperatoris Caeſaris Friderici* I. *Tractatio* comitatur. Miramur harum rerum nullam a LOTTERO factam mentionem; fors ab eo exemplari *Guntheri*, quo ille uſus eſt, plagulae illae aliquot, quibus ante memorata continentur, auulſae fuerunt, quin id ab *Lottero* obſeruatum; quod typus non cohaereat, nec paginae ſibi inuicem reſpondeant. Animaduertit tamen errorem ſuum hunc LOTTERVS poſtea, correxitque in laudata *Epiſtola* ſua *ad I.G.* SCHELHORNIVM *de edendis Peutingeri opuſculis*. 4.

II. PAVLLVS CORTESIVS *in ſententias* (PETRI, puta, LOMBARDI) *qui in hoc opere eloquentiam cum theologia coniunxit. Boni igitur ac ſtudioſi gaudento atque emunto. Baſileae Rauricorum*

hos

hos IV. sententiarum libros P. Cortesii Protonotarii apostolici prius Iulii II. P. M. auspiciis Romae publicatos, denuo recognitos Ioan. Frobenius Hammelburgensis imprimebat m. Aug. an. MDXIII fol. Debetur haec itidem *Cortesiani commentarii* editio PEVTINGERO, qui ad B. RHENANVM ipsum transmisit, *r*) vt formis *Basileae* publicis exscribi iuberet. Quod primus esset inter recentiores theologos CORTESIVS, qui repudiata barbara illa atque scholastica de diuinis rebus differendi ratione, latina eloquentia praecepta Dei tradere instituisset, persuasum habuit *noster*, ad prisci aeui elegantiam restituendam, aliamque ac liberaliorem non humanis tantum, sed diuinis quoque litteris, faciem inducendam haud parum conferre posse, si *diuinum hoc*, quod adpellat, *maximoque philosophia conditum* opus denuo emitteret, *s*) Addidit *epistolam* CONRADVS ad RHENANVM, XIII. Kal. Iulias an. MDXIII. scriptam, & in ipso CORTESII vestibulo conlocatam, quam, si *reginam* omnium, quae illius adhuc supersunt, nominauerimus, nihil omnino citra rationem nos pronunciauisse existimamus.

III. PAVLLI VARNEFRIDI *libri* VI. *de gestis Longobardorum*, *&* IORNANDIS *liber de rebus Geticis*. Aug. Vind. MDXV. *apud Ioannem Miller*, fol. & haec *princeps* omnium scriptorum horum editio *t*) auctorem habet PEVTINGERVM; quem, de illa curanda, quatuor iam ante annis *Caesareum diploma* impetrauisse certum est. Ipsum infra *concessionis* MAXIMILIANI *instrumentum* referemus, vbi *historiam tabulae Peutingerianae* commentabimur studiose. Opus hoc dedicauit *Noster Hieronymo* NOGAROLI Comiti; in qua

Dedicatione innuit, hos duos Auctores *Maximiliani* Caesaris ductu auspicatiori, & tum sua tum *Ioann.* STABII cura ac diligentia restitutos esse. Dedicationem excipiunt Carmina doctorum Virorum, praecipue *Ioannis* FOENISECAE Augustensis, certatim laudibus PEVTINGERVM extollentium. Errauit tamen PEVTINGERVS, quod existimauit, vtrumque hunc Scriptorem abs se primo omnium in lucem edi; cum *Paulus Diaconus* iam anno vno prius, scilicet MDXIV. *Parisiis.* apud *Iod. Badium Ascensium* foras prodiuerit.

IV. CONRADI A LICHTENAV, *Abbatis Vrspergensis Chronicon a Neno Assyriorum rege ad Fridericum II. Imp. an. MCCXXIX. deductum; impressum per Ioannem Myller, Augustae Vindelicorum Chalcographum*, *anno* MDXV. X. Kal. Nov. fol. celebratissimum hoc mediae aetatis opus post trium fere saeculorum decursum in *monasterio* imperiali *Vrspergensi*, dioecesеos *Augustanae*, in carta membranacea descriptum, primumque a PEVTINGERO ibidem inuentum, vulgatum itidem ipsius opera *primum* est typis publicis, *u*) instante maxime *Episcopo* tum *Augustano* HENRICO DE LICHTENAV, qui erat ex *Abbatis* posteris, non nobilitatis minus quam litterarum gloria insignis, corrigente & emendante *Ioanne* FOENISECA, qui, quos labores hauserit, in fronte operis indicat.

V. ORI APOLLINIS *Hieroglyphica, Basileae apud Ioannem Frobenium* MDXVIII. quart. possessor factus erat *noster* codicis graeci huius *de antiquis Aegyptiorum litteris* commentarii. *x*) Venerat forte *Augustam* BERNARDINVS TREBATIVS,

VS, *Vincentinus Italus*, graece ac latine non indoctus, atque in amicitiam CONRADI admissus impetrauerat ab ipso, vt latinum ex graeco vertere ipsi indulgeret. Hoc facto excusus, cum TREBATII ad PEVTINGERVM perhonorifica *dedicatione* Augustae XII. Kal. Maias an. MDXV. data, publice comparuit.

VI. Praeterea *Nostro* in acceptis referre res litterarum publica PROCOPII *Caesariensis* editionem *Basileae*, 1531. factam debet

VII. Vti etiam IORNANDIS *Epitomen de successione regnorum & temporum*; quae ambo opera *Noster* officinae *Hervvagianae* excudenda communicavit *y*) testante *Beato* RHENANO in Epistola ad *Bonifacium* AMERBACHIVM, memorato *Procopio* praefixa, his verbis: *Atque equidem miraris fortasse, vnde Hervvagius Procopianum exemplar, tam anxie tamque diu quaesitum, tandem nactus sit? Chunradus noster Peutinger, vrbis Augustanae, immo Sueuiae totius immortale decus, id ex Bibliotheca illa sua instrnctissima submisit, certe Vir optimus, & mihi quoque propter exhibitam anno superiore in* πανγερμανικω *illo apud Augustam Concilio non vulgarem humanitatem peculiariter praedicandus. Idem Iornandis epitomen de successione regnorum & temporum, antehac non editam, officinae Hervvagianae communicauit.*

Sunt alia quoque minutioris molis Opera, quae Noster pro indefesso suo vel rem litterariam adiuuandi, vel amicis gratificandi studio typi adminiculo publici juris aut fecit ipse, aut fieri ab aliis permisit, vt sunt:

VIII. *Richardi* BARTHOLINI *Oratio ad Imperatorem Maximilianum Augustum de Expeditione contra Turcas. z*) Praemittitur sequens *Au-*

ctoris Epiſtola ad Noſtrum : *Decreueram*, *Vir litterate! vt oratio , quam in Conuentu Auguſtenſi mandato D. P. Maximiliani Caeſaris recitaturus eram , ... penes me omnino deliteſceret ; tamen coactus ſum... in vulgum edere... Dabis igitur operam , vt cum tuis auſpiciis exitura ſit ; quo & a litteratis recipi, & tuo correſpondere nomini poſſit.*

IX. *Henrici* BEBELII *Hiſtoria D, Hieronymi pro Horis canonicis* : & *Hiſtoria D. Annae. a)* Audiamus ipſum BEBELIVM in Epiſtola ad *Mich.* HVMMELBERGIVM, anno 1513. data, quam inferius in *Appendice* exhibeo: *Compoſui hiſtoriam D. Hieronymi pro Horis canonicis, & cum notis, vt ita loquar, muſicis, cum Indulgentiis & confirmatione Archiepiſcopi Moguntinenſis: hiſtoriam item D. Annae; quae ſunt Auguſtae impreſſae ductu & auſpiciis Conradi Peutingeri: illum roga, & habebis unum exemplar.*

X. *Michaelis* HVMMELBERGII *Epitaphium in Caeſarem Maximilianum.* Comprobat hoc *Io.* REVCHLINI Epiſtola ad *Mich.* HVMMELBERGIVM , e *Stutgardia* anno 1519. data , ſequentibus: *Placuerunt mihi tua in Caeſarem Epitaphia; cur enim , quae Hummelbergii ſunt , non valde placerent Capnioni? Et gratulor, ea per noſtrum Peutingerum praelo committi. Faceret idem noſter Thomas* (Anshelmum , puto, intelligit) *niſi praeuentioni locus fuiſſet. b)*

XI. *Ioannis* FRANCISCI , MIRANDVLAE *Domini , de expellendis Venere & Cupidine Carmen heroicum , & Hymnus de D. Laurentio.* Operi praeit Epiſtola *Auctoris* ad PEVTINGERVM Idib. Nouembr. 1512. *Romae* data : *Offendi hic Romae vxoris tui fratrem , cui vt nihil non ad te mitterem, commu-*

commune feci Opuſculum de Venere & Cupidine expellendis ; quod magnis animi in perturbationibus poſiti ad levandam moleſtiarum molem cecinimus. . . Mitterem , ſi per occupationes liceret, maioris & operae & diligentiae volumina. Nam poſt illa noſtra & de praenotione rerum & de fide theoremata , & alia , quae Argentorati ſtanneis impreſſa notis , pleraque compoſuimus &c. Hoc Opuſculum cum accepiſſet PEVTINGERVS , anno inſequenti typis commiſit. *c*)

XII. *Compendium , ſiue Breuiarium primi voluminis Annalium ſiue Hiſtoriarum de origine regum & gentis Francorum . . . Ioannis* TRITHEMII. fol. In fine legitur : *Impreſſum & completum eſt praeſens chronicarum opus anno dni. MDXV. in vigilia Margaretae virginis. In nobili famoſaque vrbe Moguntina , huius artis impreſſoriae inuentrice prima per Ioannem Schoeffer , nepotem quondam honeſti viri Ioannis Fuſt , ciuis Moguntinenſis , memoratae artis primarii auctoris* &c. Huius Operis exemplari PEVTINGERVS ſua manu adſcripſit ſequentia : *Compendium Abbatis Sponheim ea ſolum cauſſa publicare permiſi , vt nugae eius publice adnotarentur. Cum nullum citet Hiſtoriae ſuae verum auctorem , fingit quendam* HVNIBALDVM , *qui ſaltem ex ſcripto viſus non eſt ; & vt ab optimo noſtro amico, Ioanne* STABIO, *caeſareo Hiſtoriographo accepimus, cum is pro ſupra ſcripto Auctore , poſt* TRITHEMII *mortem , Herbipolim miſſus fuiſſet , hunc non repperit , verum ſchedas quasdam , quibus hiſtoriam ſuam ſubſequentem (vt voluit ; libri enim erat iidem & calamus & chartae) ſaepe & ſaepius immutauerat , & ob Falſum admiſſum a Caſimiro Marchione apud Maximilianum Caeſarem ſuper rebus Francorum me*

praesente accusatus fuit, *verum iam defunctus*. *Id vero pessimum duco legem historiae, ut Cicero* de Oratore *docet*, *hoc est*, *ipsam veritatem non obseruare*. Similia ferme *Noster* ad EGINHARDVM *de Gestis Caroli M. Coloniae*, 1521. 4o. notauit; de quibus cum Vir clarissimus *Andr. Felix* OEFELIVS *Oliverium* LEGIPONTIVM, accuratissimum *Vitae* TRITHEMII scriptorem monuisset, is PEVTINGERVM sibi refellendum duxit. *d*) Nostrarum partium esse haud ducimus, huius controuersiae arbitros nos constituere. De reliquo mira atque insolita, Nostro autem perquam honorifica, sunt verba, quibus *Maximilianus* Caesar in Priuilegio impressorio anno MDXIV. dato, & huic lucubrationi *Trithemianae* praemisso, utitur: *Decernentes*, *ut ipse* (scilicet M. Ioannes Hasselberg de Constantia) *quidquid per te praenominatum Trithemium Abbatem* . . . *tractatuum & opusculorum editum*, & per honorabilem, fidelem, nobis dilectum Conradum Peutinger, Doctorem & Consiliarium nostrum, revisum & admissum fuerit, *imprimere* . . . *valeat &c.* ex quibus liquido patet: tum qua de caussa superius dixerit PEVTINGERVS: *publicare permisi*: tum quantam Caesar *Maximilianus* eruditionis & integritatis fiduciam Nostro habuerit; dum in illius iudicio se tuto acquiescere posse credidit. Licet autem non postremae, in huius Operis editione, Nostri partes fuerint; tamen dubium manet, an is non magis solum Censoris munus sustinuerit, quam ipsum Opus, e sua Bibliotheca desumptum, praelo subiici concesserit?

XIII. *Nicolai de* CVSA *Tabula Germaniae*. *e*) Lubet adferre *Sebast.* MVNSTERI verba in *Germaniae* . . . *Descriptione pro Tabula Nicolai Cusae* intel-

intelligenda; in cuius *praefatione* ad PEVTINGERVM ita ait: *Cum nuper Andreas Cratander in studiosorum utilitatem publicare statuisset Tabulam Germaniae ab insigni illo Mathematico Nicolao de* CVSA *conscriptam, a te vero, Vir ornatissime! pro Germaniae nostrae illustratione redemptam, non inutile visum fuit... Ceterum hoc, quidquid est laboris, sub tuo nomine, Vir clarissime! tibi nuncupantes edidimus; partim quod Tabulam istam tam egregie pictam & sculptam nobis Germanis vindicaueris; partim quod iam a multis annis diligentem egeris antiquitatum & historiarum indagatorem, quin &* insignem Geographum; *id quod nobilis liber a te editus indicat, in quo Germanos ultrarhenanos a Gallis asseris...*

Ceterum, ne diutius te morer, Lector! vlteriori recensione supersedere licitum mihi existimo eorum operum, quae PEVTINGERVS vel e tenebris atque atra vetustate asserta, vel sibi ab eruditis amicis transmissa, vt typis exscriberentur, curauit plurimam ea re abs Republica litteraria gratiam iure optimo promeritus; quod coniici facile possit, maximam ex tam praeclaro instituto laudum materiam in tanto litterarum litteratorumque patrono & statore existere debere.

q) MAITTAIRE *Annal. Typogr.* tomo II. p. 183. V. *Annal. Typograph. August. p.* LII.

r) Ita de hoc instituto *noster* in *litteris* ad *Mutianum* saepius iam adlegatis, & VIII. Kal. Sept. MDXIII. scriptis: *Dedi nuper* BEATO RHENANO, *& amico, & perdocto*, P. CORTESIVM *Romae formis excusum, vt denuo imprimeretur. Scripsit is in sententias Christianas accuratissime, stilo politiori & latiali.* rel. Consonat *Michael* HVMMELBERGIVS in *Epistola* ad *Nostrum* 1513. V. *Kal. Nou.* data: *Paulum Cortesium theologum* *omni-*

omnium elegantissimum tuis auspiciis denuo typis excusum nuper Beatus noster RHENANVS *muneri mihi misit.*

s) Commemorabilia admodum hanc in rem sunt *epistolae* CONRADI ad BEATVM verba: *Non satis admirari aliquando solebam — homines plerosque ea insolentia tumentes, vel vt dicam potius ignorantiae squallore obtritos, vt etiamsi disciplinas maximas profiteantur, elegantiam ipsam odio habeant, hancque vt fucatam insectari & deuouere nitantur. Adeo omnes, qui propitia, vt aiunt, Minerua bene & latialiter, vel etiam graece dicere consueuere, quasi abiecto, indigno ac etiam turpi nomine poetae inclamant, dilacerant, & boatu suo a puerorum institutione ac etiam vrbe pellendos putant. Sed proh inscitiae & facinoris iniuriam! — — quare non iniuria etiam apud posteriores theologos, (de eruditis loquor) eloquentia ipsa in pretio semper fuit. —— Cortesio ipsi plurimum est congratulandum, quod sacras litteras ab inculta atque temeraria lingua restituerit, hosce audaces homines, politioris litteraturae hostes, adnotauerit, profligauerit atque vicerit; cui & nos & posteri plurimum debemus. Credo modo & hoc adsero firmiter, litterarum & doctrinae monimenta aliquantulum luci reddita, ac ad claritudinem pristinam euocata esse. Breuique aetas nostra (Deum opt. max. ita rogo) perficiat, vt a caliginosa tempestate, ingenti illa socordia, putrique barbarie aliquando & integre liberemur. Quamobrem diuinum hoc Cortesii maximaque philosophia conditum opus legito, & castigatum diligentissime denuo emittito, vt etiam Germanis nobis & utilitatis & salutis conseruandaeque virtutis rectam & immaculatam eloquentia ipsa, eius quoque nitor & decor viam ostendat, qua actorum nostrorum gloriam & post fata immortalitatis memoriam consequamur.*

t) MAITTAIRE *Annal. Typogr.* tom. II. p. 266. V. *Annal. Typograph. Augustanae*, p. LI.

u) Debemus hanc pleniorem *primae* istius *Chronici Lichtenauiensis* editionis notitiam supra nobis iam commendato CORBINIANO KHAM, qui illam *Hierarchiae Augustanae* parte III. sect. II. vbi de *coenobio Vrspergensi* agit, num. VIIII. p. 497. luculenter admodum exposuit.

x) Haec libri frontem ornat ac tituli simul vices explet *typographi* ad lectores προσφωνησις: *damus nunc vobis*

Orum

Orum Apollinem Niliacum de Hieroglyphicis notis a Bernardino Trebatio Veicentino latinitate donatum. In quo veteris Aegyptiorum ſapientiae theſaurum reperietis, vulgo haud dum cognitum, & miras rerum ac animantium naturas ac proprietates. Eum inſignis ille meliorum litterarum antiſtes Chunradus Peutinger apud Vindelicos Auguſtani Senatus a ſecretis & Caeſareae Maieſtatis a Conſilio, liberaliter non ita dudum nobis communicauit. Bene valete, & Frobenium amate.

y) Huius Editionis exemplari in Bibliotheca *Peutingeriana* extanti PEVTINGERVS ſua manu adſcripſit : *Ioannes Hervagius Chuonrado Peutinger dono dedit.*

z) *In excuſoria Sigismundi Grimm Medici & Marci Wirſung officina. Auguſtae Vindelicorum, anno ſalutis MDXVIII. 12. Kal. Octobr. in 4o.* V. *Annal. Typogr. Auguſt. p. LVII.*

a) Confer *Annales Typographiae Auguſtanae, pag.* 57.

b) Vide *Epiſtolas* in *Appendice* huius *Vitae* apponendas : ſcilicet *Mich. Hummelbergii* ad *Peutingerum* 1519. V. Idib. Iun. *Peutingeri* ad *Hummelbergium* 1519. 12. Iun. aliam *Hummelbergii* ad *Peutingerum* 1519. 6. Kal. Sextil.

c) Prodiit Liber iſte hoc titulo : *Ioann. Franciſci, Mirandulae Domini, de expellendis Venere & Cupidine Carmen heroicum, & Hymnus de D. Laurentio. Baptiſtae Mantuani Elegia in Amorem, & eiusdem in Venerem Heroicum, in Cupidinem nociuum Carmen Luciani. 4. Argentinae, apud Ioann. Schottum.* 1513.

d) Fecit hoc in *Hiſtoria Rei litterariae Ord. S. Benedicti, auctoribus Magnoaldo* ZIEGELBAVER & *Oliuerio* LEGIPONTIO, *Tom.* III. *p.* 328. *Auguſtae.* fol. *Sumptibus FF. Veith.*

e) In dedicatoria Epiſtola, *Baſileae*, menſe Auguſto MDXXX. data, MVNSTERVS *Noſtrum* titulo *Hiſtorici & Coſmographi doctiſſimi* honorat.

IX

Solent plerumque inter eruditorum ſcripta non illa tantum ſedulo adtendi atque notari, quibus vel de autorum voluntate, vel fati benignitate, huius vſura lucis contigit : ſed illa quo-

que

que curiosius inuestigantur, quae in scriniis abdita *anecdotorum*, *affectorum*, aut simili nomine censentur. Huius generis & *Peutingeriana* aliqua adhuc memoranda superant, quorum cognitione tanto minus ego quidem lectores meos defraudabo, quanto fauentior mihi in illa adquirenda fortuna adparuit.

Equidem *Io. G.* LOTTERVS horum designationem, at illam mancam admodum & imperfectam, exhibuit. Sunt itaque sequentia, quae in memorata *bibliotheca Collegii* quondam *Soc. Iesu* post diligentem inquisitionem reperire potui, PEVTINGERI *Opera*; quorum exordia attexenda esse duco, vt, quodnam sit eorum maxime argumentum, clarius pateat.

I. *De supremae Imperatoriae Maiestatis Praeeminentia & Potestate*; Incipit:

> Tempore superiori, & potissimum cum Imp. Caes. *Maximilianus* Augustus a S. R. I. Principibus Electoribus in Romanum Regem adscitus (fuit is salutis annus 1486.) cum adhuc *Patauii* caussa studii agerem, verba quaedam & sententiae ex Imp. Caes. *Caroli IIII.* Aug. *Edicto* imperiali, quod vulgo *Bullam auream* vocant, ex *capite* scilicet *primo* recitabantur: *vt quotiescunque & quandocunque futuris temporibus necessitas, siue casus electionis Regis Romanorum, in Imperatorem promouendi, emerserit*; item ex *capite 2do.* & *de Principum Electorum Iuramento*, vbi inter caetera scriptum est, *quod per fidem, qua Deo, & Sacro Romano Imperio sum adstrictus, secundum omnem discretionem & intellectum meum, cum Dei adiutorio, eligere volo temporale Caput Populo Romano, id est: Regem Romanorum in*

Cae-

Caesarem promouendum, prout & saepius in *Edicto* ipso verba haec repetuntur; admirabantur plerique, vt Imperator in maiori fastigio, & praeeminentia, quam Rex, esse deberet. . . . deinde annis sequentibus opus *Epistolarum Leonardi* ARETINI a nobis coemptum, . . . in cuius *libro sexto* nomine ARETINI eiusdem ad CYRIACVM quendam comperta est a nobis *Epistola*, in qua inter caetera refert: *Admiratum te dicis in hoc nouo Sigismundi Principis aduentu, quod qui ante coronationem se regem scribit & Romanorum, post coronationem, quasi maius quiddam & dignius exprimere volens, Imperatorem se nuncupat, non Regem; quod perperam factum arbitraris, & quaeris a me, num idem, sentiam, quod tu, an contra putem*; se quoque idem, quod *Cyriacum*, sentire asserens haec iam pridem adnotasse & redarguisse. Postea nobis ab *Hieronymo* NOGAROLI Comite *Roberti* VALTVRII *de Re militari* opus ex Italia missum est, qui *libro octauo* vocabula rei militaris publici honoris, vt inqnit, interpretari solet, de Imperatore ita subiungens ait: *a quo autem primum haec noua Imperatoris nostri temporis coronandi, nominandique consuetudo, vel abusio potius defluxerit, non satis intelligo*, & infra: *Existimo autem hoc a Barbaris deriuasse, qui cum priscas historias ignorarent; neque vim verborum*: Imperatoris & Regis, *bene noscerent, essetque frequens apud eos Regis nomen, vt puta sub Regibus viventes; Imperatorem vero rarum viderent, id excellentius arbitrati sunt, quod rarius, aut insuetius conspiciebant. Vtcunque tamen hoc adoleuerit, id plane constat, vel a Barbaris, vt ante diximus, non scite: aut a doctis parum modeste hanc sublimem Imperatoris,*

id

id est, Dei appellationem (vt inquit Cicero) magis, quam regiam, post coronationem, vsurpatam & posterioribus temporibus introductam esse, regibusque concessam. Hactenus VALTVRIVS. Tandem vltimo, & his proximis annis, oblatus est nobis *Marii* SALOMONII *In* 1. *Pandectarum librum Commentariolorum* opus (hoc enim ita appellat) vbi . . . plurimum supremae Imperatoriae Maiestatis praeeminentiae & potestati detrahere & hanc imminuere est conatus. . Verum assertis illis comprobationibus & argumentis, quibus non solum in eadem *Epistola* LEONARDVS . . . sed & VALTVRIVS, ac SALOMONIVS ipse vsi sunt, Dei auxilio contradicere studebimus, &, vt res ipsa intelligatur plenius, argumenta ipsorum proponemus. Et ab *Epistola* exordium sumentes. *reliq.*

Vides satis, Lector! quid hoc opere agat *Noster*, quos contra militet.

II. *Ad venerandum in Christo Patrem & D.D.* CHVONRADVM *Abbatem Monasterii Caesariensis, Ord. Cisterciens. Chuonradi* PEVTINGERI *Augustani Iuris Consulti in D. Pauli Apostoli raptum, & de vero in Eucharistia Corpore & Sanguine Christi Conlectiones f*). Praemittuntur huic operis Litterae CONRADI Abbatis ad PEVTINGERVM, sequentes :

Fr. CONRADVS *Abbas Caesariensis egregio Domino Chuonrado* PEVTINGERO *Patritio Augustano, Iurium Interpreti consultissimo, ac Domino & Amico sibi praecipuo S. P.* Quid superioribus diebus, mi charissime *Chuonrade* PEVTINGERE! in - - - *Wilibaldi* BIRCHAMERI Nürnbergensis Senatoris de vera Christi carne

&

& vero eius ſanguine contra conuicia *Ioannis*, qui ſibi OECOLAMPADII nomen indidit, ad *Clementem* VOLCHAMERVM communem amicum noſtrum tumultuarie, & indigeſte ſcriſerim, ex ſcaeda hiiſce accluſa intelliges; vnde cum nunc in tectis praedicetur, quod non longo ante tempore in aure audiui, te inter cetera *de Sacramento Dominici Corporis & Sanguinis* contra errores pernicioſiſſimos calamitoſorum praeſentium temporum non nihil ſcriptitare, precor te maiorem in modum, tantas inter nos iudicando componere lites, atque vter noſtrum ad ſinceram catholicamque veritatem propius acceſſerit, decernere, dignoſcereque velis. Non enim doctorum hominum iudicia, neque per certas rationes, & congruas auctoritates emendari refugio. Vale, & ſi quid habueris, quod mea intereſſe putaueris, ne me, precor, celes. Ex Caeſareano Caenobio.

Suo Clementi VOLCKHAMERO *Norenbergio* CHONRADVS *ſecundo g) nomine Abbas fratrum in monaſterio Ceſarienſi Deo famulantium S. P.*

Cum ante dies hoſce non multos, mi *Clemens* VOLCKHAMERE chariſſime! *Wilibaldi* BIRCKHEIMERI huius veſtri Patritii, & Senatoris omnium callentis, & eruditi, & diſerti de vera Chriſti carne & vero eius ſanguine contra conuicia *Ioannis*, qui ſibi OECOLAMPADII nomen indidit, ſecundam reſponſionem perlegerem, offendi profecto, quod cum concordi Patrum ſententia ex diametro pugnare, immo veritati obuiare videtur. *Viuebat Apoſtolus*, inquit, *adhuc in terra; attamen quod eodem tempore*

pore per reuelationem in corpore etiam in tertium ascenderit caelum, *nequaquam indicat obscure*, *etsi humilitatis gratia id se nescire asserat*; *quod cum homini Paulo accidit*, *cur Deus caeli & terrae non possit esse vbique corporaliter etiam*, *maxime iam glorificatus?* Fateor haud male infertur a BIRCKHAMERO, si corpus Apostoli Pauli fuit simul in pluribus locis, consectarium esse; ut & Corpus Christi simul possit esse in caelo & in altari (quod impossibile autumat OECOLAMPADIVS, errans toto caelo; nam verissimum est, Corpus Christi simul esse in diuersis locis sacramentaliter) At quod BIRCKHAMERVS raptum existimat corpus Pauli in caelum, & simul fuisse in terra, veritati minime quadrare videtur. Nimirum unum corpus non potest esse simul in pluribus locis totaliter, cum id nec angelo conueniat; eadem enim ratione posset esse & vbique.

Denique de corpore nihil addubitat Paulus; sed hoc nescire dicit de spiritu suo, *an in corpore*, *vel extra corpus*, hoc est, an raptus ille extaticus animam a corpore dissoluisset, aut ad videnda & audienda tanta arcana spiritus in corpore residens esset euocatus, non quidem locali praesentia, quae ad intelligentiam spiritus non est necessaria, sed obiectiua. Quod ergo de spiritu Pauli Patres asseuerant, hic de corpore intelligit. Nam quia animus suus corporeis non fungebatur actionibus, dicit, se nescire, an sicut fuit abstractus, ita & vnione corporis. Porro quod idem BIRCKHEMERVS subiungit, apostolum gratia humilitatis dixisse, se nescire, *an in corpore*, *an extra corpus*; id mihi non probatur, nec sibi subscribo.

Nam

Nam ſi humilitatis gratia dixiſſet Apoſtolus, *ſe neſcire*; potius vtique, & maiore humilitate dixiſſet, ſe neſcire, quod ibidem praecedit, & ſequitur, videlicet cum dicit de ſe ipſo, *ſcio hominem*, & quod maius eſt, *ſcio hominem in Chriſto*, vt eſt, vnitum Chriſto per fidem charitate formatam; iam cur non gratia humilitatis pleraqne alia, de quibus audacter gloriatur, aut ſubticuit, aut ſe neſcire dixit; Denique cum in nullo caſu mentiri liceat, & omne mendacium ſit peccatum; nemo mihi perſuadeat, Paulum, perfectum Vas electionis ſacrae, Templum Domini, Sacrarium & familiare Spiritus ſancti Organum, vel gratia humilitatis, mentiri voluiſſe. Ceterum quod dicit, *venit Deus ſaluos facere peccatores, quorum primus ego ſum*, non vtique mentiebatur humilitatis ſtudio; ſed ita de ſe ſentiebat reputatione propriae fragilitatis, & indignitatis, cui tamen dignus non erat reliquus mundus; ita vno ore loquuntur orthodoxi Patres, a quibus, crede mihi, non facile auellor. Itaque cum ſolius diuinitatis ſit, in nullo peccare; ſapientis vero, errata caſtigare, obſcura elucidare, ambigua enodare, ſuperuacua reſecare, oro te pro ſumma noſtra amicitia, & beneuolentia: amicum tuum inter te & ipſum amice commonefacias, parum attente ſcripta expendat limetque; id quod procul dubio ſponte, lubensque faciet; non enim, vt arbitror, ita ſcriptis ſuis addictus eſt, vt, ea mordicus tenens, in ſenſu ſuo abundare, & contra Patrum ſententias, imo veritatem ipſam, defendere contendat. Quod ſi malit, ſenſu ſuo ex

canonicis litteris, & rationibus probabilibus ſe retuliſſe, demonſtret. Bene valeto.

Sequitur opus PEVTINGERI, quod ſic incipit:

In Chriſto Seruatore ſalus & perpetua felicitas.

Dum menſe ſuperiori in pomerio caenaremus, Venerande Pater, dignitatis tuae litterae mihi redditae ſunt, ex quibus plane perſpeximus, Eam in prioribus, quas ad *Clementem* VOLCKAMERVM Patricium Nurnbergenſem dediſti in negotio de vera Chriſti carne, & vero eius ſanguine, a noſtro BIRCKHEIMERO ſimili patriciatus ordine ac magna eruditione exornato aliquanto diſſentire. *reliq.* Demum opus ita finit: Haec itaque congeſſimus, *tamen contra Eccleſiam catholicam impie aut irreligioſe aſſerere volumus nihil*; quod & conteſtamur, ac cum *S. Auguſtino*, quem vltra alios ſaepe & ſaepius citauimus, ita Deum omnipotentem deprecamur: ſi forte aliud dixi, quod dicere non debui, homo dixi, & utinam ſub Deo, qui confirmat ambulantem, minatur erranti, ignoſcit agnoſcenti, renouat item linguam, renouat & lapſum; quare etiam, vt idem *Auguſtinus* ait, non timendi ſunt callidi inſectatores, aucupes verborum, dinumeratores paene ſyllabarum, & praeuaricatores praeceptorum. Laus Deo omnipotenti.

III. Huc referas, benigne Lector! velim aliud *Noſtri* opus anecdotum, quod paulo ante memorato praemittere voluit, hoc titulo: *De Verborum: ſacrum, ſacramentum, ſacer locus, ſacrariumque, ſignificatione, & de Iureiurando Aſceticon, ſeu Exercitatorium primum.* Incipit:

Cum

Cum annotationes quorundam, de Corporis & Sanguinis D. N. Iesu Christi, congerere instituissemus, operae pretium duximus, primum quorundam verborum significationes referre, vt sententias & opiniones tam veterum quam recentiorum, qui re super hac scripserunt, accommodatius intelligere possimus. *reliq.*

IV. Hoc loco exponendum venit opus philologicum de Vocibus: *Vespertilio* & *Vespillo.* Incipit:

Chuonradus PEVTINGER *Augustanus Iuris utriusque Doctor Wolfgango* ANEMOECIO *h*) *litteras politiores profitenti, amico praecipuo, in Christo Seruatore salutem.*

Cum die hesterna caena te domestica & tenui excepissem, colloquebamur invicem de ingeniis & eruditione singulari praestantium quorundam virorum, qui aetate superiori floruerunt, ac hactenus florent. *reliq.*

V. *Memoria Beatorum & eorum, qui in Divos relati sunt ex maioribus & progenitoribus Imp. Caes. Maximiliani Aug. Kalendario Romano coniuncta.* Opus hocce Nostri autoschedion est, ad quod referri debent *Maiores Regum Portugallensium Valentini* MORAVI, de quo opere non nulla LOTTERVS habet. Id planum faciet exordium Operis *Valentini* MORAVI:

Valentinus MORAVVS *Doctori praestantissimo Conrado* PEVTINGERO *vtriusque virtutis officiosissimo.*

Scribis, Doctor optime, Leoni tanquam filio supplicans, vt tibi mitterem *Genealogiam* strenuissimi Regis Romanorum *Maximiliani* ex par-

te Matris, qua ſtirpe ipſa proceſſerit; quia, vt dicis te collegiſſe ſuam ex parte Patris. *reliq.*

VI. *Conlectiones tum ex Scriptura ſacra, tum & ex ceteris bonis auctoribus plurimarum ſententiarum ac rerum geſtarum adverſus Anabaptiſtas.* Incipit:

Venerando ac Clariſſimo Iuriſconſulto D. Ioanni COLER, *Praepoſito Eccleſiae Curienſis, Praeceptori & Affini obſeruando Chuonradus* PEVTINGERVS *Iuris vtriusque Doctor ſalutem in Chriſto Seruatore optat.*

Altius epiſtola illa *Haconis Hermanni Friſii*, cuius exemplum, pro ſolita tua humanitate & beneuolentia, perlegendum ad me miſiſti, memoriae meae inſedit, in qua *Anabaptiſtarum* haereſis atque crimina taxantur, aſſerendo iſtos bonorum aequationem induiſſe, & promiſcuo quoque concubito vti; quae, ſi ita tranſigerentur, facta non ſolum ciuili, gentium, ac naturali, ſed & diuino iuri, & omni aequitati atque honeſtati repugnarent, ſed & aduerſarentur. Quare nobis quatuor in his conſideranda erunt: De Baptiſma iterantibus; De bonorum communicatione; de promiſcuo concubitu; quarto caeteris eorum opinionibus reſpondendo.

VII. *Chuonradi* PEVTINGERI *Auguſtani Iuris Conſulti in Vertiginem Scotomiamque morbos, quibus affectus fuit, ac etiam in caeteros, hos plerumque conſequentes i*). Hoc opus, contra quam ante memorata, plenum notis, correctionibus, lituris. Id primum Erudito & Religioſo fratri in Chri-

Christo *Vito* IMAGIO *k*). Domus DD. *Vdalrici* & *Afrae* Caenobitae Ord. S. *Benedicti*, Amico praecipuo, inſcripſit, hoc exordio:

> Anno ſuperiore communis amicus noſter *Ioannes* PINITIANVS me non mediocriter ridere fecit, cum nomine tuo remedia, neſcio quae, vertiginem contra a me petiuiſſet.

Verum haec omnia poſtea deleuit, nomenque filii *Claudii Pii* ſubſtituit. Initio operis exponit, qua ratione anno aetatis LX. vertigine correptus fuerit, & cum dies quatuordecim ſedendo, iacendo, ſtando quoque ſe domi continuiſſet, ne ocio vacaret, plura ex bonis auctoribus philoſophicis & medicis legerit, annotaueritque. Acceſſit operi ſcheda autographa *Ambroſii* IVNGII, praecipui amici, artis medicae cultoris in haec verba: *Magnifice Vir, Patrone obſeruandiſſime! Haec ſcripta ſummo, ac accuratiſſimo ſtudio ac diligentia a te congeſta, quae a ſapientiſſimis & peritiſſimis Medicinae auctoribus ſcripta ſunt, in morbo vertiginis, docte ac canonice facta eſſe, iudicio meo exiguo approbo.* Remedia quoque variorum ſui temporis Medicorum, Wolfgangi *Dalhauſeri*, *Magenbuchii*, Ioannis *de Haydeck*, Ambroſii & Vlrici *Iungiorum*, Achillis *Gaſſari*, *Stockeri*, Bernardi *Rorbachii*, Sigismundi *Grimm*, Gereonis *Sayleri*, Ioannis *Bohaim*, Georgii *Strelin*, Stephani *Has* collegiſſe. & in vnum corpus compingi curaſſe, auctor eſt V. Cl. OEFELIVS, qui id opus obſeruauit. Ceterum in APVLEIVM quoque *de herbarum medicaminibus* Notas *Noſtrum* edere cogitaſſe, memini me ſupra *Cap. II.* §. *III.* monuiſſe, quare de iſtis plura dicere nolim, ad alia perrecturus.

VIII. *D. Peutingers Beschreibung des anno* 1509. *gehaltenen großen Schießens.* Huius opusculi itidem anecdoti notitiam subministrauit nobis de patria historia meritissimus, ac Perillustris a STETTEN, qui in antecessione, Operi historico *de Vrbe Augustana* germanice scripto, praemissa illius meminit. §. 2. *n.* 24.

Extant praeterea in bibliotheca Collegii Soc. Iesu Augustae.

IX. *Congesta Caes. Augustorum a Carolo Magno vsque ad Guilhelmum & Competitorem.* in folio. Opus immaturum.

X. *Imppp. Caesss. Auggg. & Tyrannorum quorundam Romani Imperii breuis gestorum Annotatio cum Inscriptionibus Lapidum & Numismatum, quas habere potui non solum, in hoc, sed in aliis meis libris plerisque congesta.* in folio. Deducitur series Imperatorum a Iulio Caesare ad Irenem *l*). Huius quoque farinae est *Volumen aliud*, omni epigraphe carens, in charta pergamena nitidissime scriptum, non quidem manu *Nostri*, sed haud dubie iussu, qui eidem passim Notas suas inseruit. Oeconomia Voluminis istius haec est. Primo agitur de quolibet Imperatore, eiusque vitae praecipuae circumstantiae breui sermone perstringuntur. Tum differitur de Vxoribus eiusdem, ac Liberis. Tertio ponuntur *Inscriptiones* antiquae ad eum pertinentes. Quarto denique eius *Numismata* recensentur. Hoc modo totum (quantum quidem licuit) Volumen pertexitur. Incipit autem a *Iulio Caesare*, extenditurque vsque ad *Dalmacium*, *Constantini Anauallia-ni* filium *Constantii & Theodorae* nepotem. Subin post aliquot vacua folia pergit a *Carolo M.* Occi-

Occidentis & *Nicephoro*, Orientis Imperatoribus, vsque ad *Basilium* Orientis, & *Lotharium II.* Occidentis Imperatores.

XI. *Liber manu* PEVTINGERI *exaratus sine titulo*, qui incipit:

Quoniam Caesares Augusti, atque Tyranni Romani imperii, qui *Caesarem* Dictatorem secuti, simul & idem *Caesar Imperatoris* praenomine & *Magistratuum maiorum* scilicet, & *minorum* (ita enim *Aul. Gellius* ex *M. Messala* augure, & *C. Tuditano* & *L. Fenestella* appellant) nominibus cum in Constitutionibus, Legibus, Edictis, Decretis, Rescriptisque publicis, tum Inscriptionibus marmorum, lapidumque caeterorum, & numismatum frequenter vsi sunt, operae pretium duximus, nomina haec, & dignitatum & officiorum titulos explanare. Verum antequam de his dicetur, placuit imprimis referre vrbis Romae conditorem, & praecipue septem illos reges; qualiter quisque rex declaratus vel factus, & quae eorum vel regia insignia simul & potestas fuerit. Desinit vero in *Numa* rege *m*).

XII. Liber, quem PEVTINGERVS inscripsit: *Inscriptiones & Annotationes Conradi* PEVTINGERI *pleraque*; cuius sequentem nobis notitiam reliquit LOTTERVS: In prima pagina index eorum conspicitur, quae hoc volumine continentur ipsa PEVTINGERI manu scriptus; quod quum & aliorum auctorum *Francisci* BARBARI, *Clementiani* FORTVNATI, *Hieronymi* DONATI, *Valentini* MORAVI, & quorundam *Anonymorum* Lucubrationes, item *Imperatoris*

Caeſ. Karoli Aug. Magni Teſtamentum, eiusdem *Decretum ſuper Quadrageſima*; *ſuper iniuſta Imp. Caeſ. Hluduuici Aug. Pii abdicatione ab Imperio*; *epiſtolam Imp. Caeſ. Conſtantini Aug. Maximi de baptiſmate recepto*, & alia quaedam minoris momenti complectatur; omiſſis his, illorum iam tantum recenſum inſtituemus, quae ad ipſum PEVTINGERVM auctorem ſpectant proxime. ſunt vero:

Epiſtola ad CARVASALVM *Card.* De hac, quod edita etiam extet, ad huius *capitis Art. VII. Num. IV.* iam expoſitum eſt.

Epiſtola de nomine: Auguſtus, *ad Theodoricum* RISICHAEVM (in ipſo Codice REYSACHER.) iuuat hoc loco adferre duas RYSICHAEI *Epiſtolas* ad *Noſtrum* datas, quas hoc loco legere eſt:

1. *Theodoricus* RISICHEVS *Chunrado* PEVTINGERO *S. P. D.*

Eximie Iurisconſulte, & Amice obſeruandiſſime! Gratulor tibi de filio nato. Deus optimus maximus tibi illum incolumem ſeruet, vt virtutes imitari paternas, tuumque nomen immortalitati tradere poſſit! Scias me cum coniuge & liberis apud *Wangiones* bene valere, ſed quamdiu ibidem manſurus, ambigo; forſitan tu, me melius, in Conuentu *Argentinenſi* intelliges; quod ſi euenerit, mei memor ſis, meque certiorem reddas, obſecro: Vale fauſte cum coniuge & liberis. Ex *Wormacia.* VII. Oct. 1510. Nuper in quodam conuiuio ſermo de *Caeſare* incidit, quare poſt *Octauium* frequenter omnes Caeſares *Auguſti* appellati; ego,

ego, reiecta opinione *Bartholi*, dixi: *ab augustiore forma.* Allegaui *Beroaldum*, quondam praeceptorem meum, in *commentariis Tranquilli*; sed eo responso plerique non satiati. Deliberaturum me statui, teque antiquitatum restauratorem consulturum. Quid igitur ea in re sentias, cum harum gerulo, obsecro, rescribas. Iterum vale, & me generoso comiti *de Nassau* litteris tuis commendes, oro.

Tuus Theodoricus Reysacher
I. V. Doctor.

2. Eximie & grauissime Iurisconsulte, Domine, & Amice obseruandissime! Accepi heri *collectana tua de origine Augustorum*, ad meam voluntatem abs te docte digesta, in quibus nihil reprehensione, castigatione egens, nullum denique errorem (etsi nemo tam sapiens sit, qui non interdum erret) quin potius cuncta ad amussim, & exquisita doctrina edita comperi. Imprimis ingenii tui dexteritatem ab annis multis mihi notam, simul & immensae memoriae tenacitatem summa eruditione commendo. Dein quod litterulis meis motus tantos subieris labores, habeo tibi, non quas debeo, sed quas possum, grates, & vt mutuis studiis alternisque beneficiis litterariis arctior inter nos amicitia, & coniunctior necessitudo fiat, sedulo curabo; quo autem modo id fiet, intelliges a me (Deo duce in proximo imperiali conuentu) vbi aliquantisper a negotiis feriati mutuiter confabulabimur. ... Cursim ex *Wormacia*, Wangionum vrbe. 11ma Dec. 1510.

Tuus, si suus, Theodoricus
Reysacher I. V. Doctor.

Interpretatio super numismatis Herculis Inscriptione graeca. Incipit:

Super numismatis cuiusdam Inscriptione Chuonradus PEVTINGER *Augustanus.* Schedula sacrae Caesareae maiestati, non satis scio, a quo porrecta *n*) inscriptionem illam continebat: *Heracleus Satyras Tasyon*, latine: *Hercules Rex Salutaris. Herculem* quoque aetatis anno XXX. pestilentia correptum, ob animi magnitudinem, ne quis ab eo inficeretur, in ignem sponte praecipitatum interiisse iam annis DCIII. supra IIM. & quod hactenus multitudo non mediocris numismatum quorundam huiusce inscriptionis in Panonia inferiori effossa fuissent, petiuit sua Caesarea Maiestas: Eam, vt de Schedula ista quid sentirem, certiorem redderem, qui etsi pro ingenii mei exiguitate vetustatem ipsam venerandam in hanc usque diem non solum amauerim, sed & diligenter obseruauerim, cum quod res ipsa desperari facile possit. *reliq.*

Maiores regum Portugallensium Valentini MORAVI *ad Ch.* PEVTINGER. Vide superius *No. V.*

Peutingeri Annotationes de annis Caesarum Germanorum ex monumentis publicis.

In plerosque aulicos, & Romanam Curiam sequentes.

Ch. PEVTINGER *de Morinis.* Incipit:

Ad Magnificum D. Iacobum VILLINGER *de Schonenberg S. C. Maiestatis Senatorem & magnum Thesaurarium Chuonradus* PEVTINGER *Augustanus Iure Consultus.*

Teruannam vrbem, quam nunc primum serenissimus Anglorum Rex obsidione cingens, mox quoque

quoque Caesareae Maiestatis auxilio in deditionem coegit, antiquitus non nisi *Morinum* appellatum, non plane adsentio; nec inficias eo, *Rupertum* GAGVINVM & plerosque alios recentiores *Morinum* scripsisse; verum ex professo habeo, prouinciam ipsam (in qua *Teruanna* est sita) vel illius populos, *Morinos* a *Caes.* Dictatore, *Strabone*, *Plinio*, & *Ptolomaeo* dictos fuisse. *reliq.*

XIII. Alius *Tomus*, eiusdem cum priori formae, ita inscriptus est; *suppellex Peutingeriana in Libr. ff. XXXIII. & infortiati nono, de supellectile legata.*

XIV. Codex, cui titulum Peutingerus fecit: *Collectiones in Iure.* In hoc Volumine, signato *Oo.* 1. 4. inter alia memoratu praecipue dignum videtur *Consilium* Nostri, cuius hoc initium est:

Magnificus & generosus Dom. *Maximilianus* de BERGEN, Dominus in *Seuenberg*, & nobilis Dom. *Iacobus* VILLINGER Thesaurarius S. R. & C. R. M. Domini nostri clementissimi Senatores & Commissarii, Domini mei praecipue obseruandi, mihi heri iniunxerunt ad annotandum: An decretum Principum Electorum, tam ecclesiasticorum, quam saecularium, quo compertum habemus, praedictam Maiestatem ab ipsis unanimiter, concorditer & legitime in Regem Romanorum, postea in Imperatorem promouendum, electum, nunc & ante suae Maiestatis coronationem Romae fiendam, sedi apostolicae sit praesentandum: ac ibi & eodem loco a Pontifice maximo personae Maiestatis suae in Regem Romanorum nominatio &

appro-

approbatio ſit petenda? Praemitto primum quod &c. &c.

Hunc Tractatum typo digniſſimum cenſet OEFELIVS in *Peutingerianis* ſuis.

XV. Codex alius continens *Acta publica ſub Maximiliano & Carolo V. Imp. Augg.* quem vidiſſe ſe in ſaepius laudata Bibliotheca, & illius elenchum ex parte deſcripſiſſe V. Cl. *A. F.* OEFELIVS aſſerit in *Peutingerianis* ſuis.

XVI. Codex, quem Peutingerus inſcripſit: *Conſultationes noſtrae*; quas inter memoranda maxime videtur: *An arcana fidei ſint publicanda, Conſultatio Chuonradi* PEVTINGERI, *Anno MDXVII. X. Kls. Decembr.* Incipit:

Maximilianus concepit pro totius chriſtianae religionis bono, & omnium Fidelium ſalute de fidei orthodoxae arcanis non nulla edere, ita vt ſimpliciſſimus quisque arcana huiusmodi intelligere poſſit. Super qua re Maieſtas ſua Rmi. *Matthaei* LANGII Tit. *S. Angeli* Cardinalis, *Gurcenſis* & Eccleſiae *Salisburgenſis* Coadiutoris, *Ioannis* ECKII & *Chuonradi* PEVTINGERI conſilio vti voluit. *reliq.*

XVII. *Tractatus de Iureconſultis, ſeu de claris Legum interpretibus*; quem itentidem laudat & fruſtillatim exſcribit V. Cl. *A. F.* OEFELIVS in *Peutingerianis* ſuis.

XVIII. *Liber Annotationum*, ſcriptus caractere minutiſſimo, abbreuiato & difficilis lectionis, litteris etiam ex atramenti pallore fugientibus. Continet reſponſa variorum ad dubia Iuris,

ris, vt D. *Antonii Francifci de Doctoribus de Padua*, D. *Simonis de Carucciis*, D. *Seuerini*, una cum *Orationibus* quibusdam praeceptoris fui *Baptiftae de S. Blafio.* Finiit primam partem horum Collectaneorum *Pataui* 1486. dic 9.Sept. Similia continet etiam pars altera. Haec *A. F.* OEFELIVS obferuauit. Confule, fi lubet, fuperius, *Caput I.* §. *III. in Notis.*

Caeterum facile putamus, qui de ingenio *Noftri*, atque doctrinae, qua polluit, pretio ex hactenus traditis exiftimare didicerunt, perfuafuros fibi effe, non indigna fore horum ανεκδοτων pleraque, quae communi plurium vfui vulgentur; quod vt fieri aliquando fauente Deo poffit, atque ifta non fine gratae pofteritatis fructu vna cum Auctore abiiffe dici queant, in hoc quidem fe operam omnem, atque induftriam pofiturum effe LOTTERVS pollicitus eft, qui etiam anno 1731. *Lipfiae* Confilium PEVTINGERI Opera edendi vulgauit; quod tamen quibus (nefcio) fatis impeditus non perfecit, *o*)

XIX. *Liber Auguftalis*, *fiue Compendium hiftoriae Auguftae.* Huius notitiam nobis feruauit *Margaritha* Vxor *Noftri* in *Epiftola latina*, nuperrime a Viro Clar. *Hier. Andr.* MERTENSIO Gymnafii Annaeani Auguftae Rectore meritiffimo publici iuris facta, quam fubinde iam appellauimus; ibi *capite XXVII. Margaritha* fic ait: *Haec funt titulorum, vt puto, infignium confcriptiones, quas ex plerisque nomifmatis noftris tibi transmittere volui. Plura quidem alia, his ab imaginibus diffimilia, habemus, quae non hic, fed coniux nofter in libro fuo Auguftali referre curabit.* Et *cap. XXVIII.* pergit: *Nomina autem & titulos &*

infcri-

inſcriptiones Imp. Caeſ. Karoli Aug. Magni & aliorum, qui poſt eum cum occidentis, tum conſtantinopolitano praefuerunt imperio, maritus noſter in Compendio ſuo hiſtoriae Auguſtae accumulatiſſime refert. Ac primum quidem *Epiſtolae* locum ad huius *paragraphi num. XI.* ſecundum vero ad *num. IX. X.* referri oportere puto; ita vt *opera* ibi recenſita *Librum Auguſtalem* &c. de quo hic ſermo eſt, conſtituiſſe videantur. Praeterea *Auguſtalis libri* huius meminit *Michael* HVMMELBERGIVS, *Epiſt.* 27. & 29. inferius in *Appendice* huius *Vitae* apponendis: item ipſe PEVTINGERVS in *Epiſtola* ad *Nicol.* ELLENBOGIVM; quae extat ad calcem *Sermonum conuiualium* NOSTRI *Auguſtae*, 1781. vulgatorum. *pag.* 138. Et quoniam de VELSERIAE *Epiſtola* ſermo incidit, promiſſi *priori capite* facti memores, quae ad notitiam illius *Epiſtolae* ſpectare videntur, deſcribemus. Inſcripſit vero PEVTINGERIA *Epiſtolam* illam, Venerando Dn. *Chriſtophoro* WELSERO Iuriſconſulto, Eccleſiarum *Ratisbonenſis* & ſancti *Stephani Bambergen.* Praepoſito, ſcriptorique Apoſtolico, Fratri & Praeceptori obſeruando. ex Gynoetio ſuo, Kldis Iuliis Anno Salutis MDXI. Auſpicium epiſtolae facit Apologia quadam ſexus ſui contra *Georg.* EMSERVM, quem ſacerdotem & eruditione, & vitae dexteritate clarum, maritique ſui amicum ſingularem citat. Ediderat ille non multo ante libellum vernacula lingua contra adulteros, in quo de faeminarum infortunio, eruditis viris conlocatarum, quaedam poſuerat; quibus videbatur, oſtenſa difficili atque moleſta illarum ſorte, plane faeminas ab ineundo cum hominibus, qui in litteris viuunt, matrimonio dehortari atque abſterrere voluiſſe.

Haec

Haec cum dura nimis, atque citra rei veritatem pronunciata ab EMSERO *noſtrae* viderentur, praeter rationes nonnullas, vel ipſi aduerſario haud inficiandas, exempla potiſſimum ex erudita antiquitate profert faeminarum plurima, qnae vel ipſa hac re & fuerint beatae, & ſe quoque tales exiſtimauerint, quod in thori ſocietatem admiſiſſent maritos, quorum ſumma in ſtudiis, & fere vnica voluptas fuiſſet. Et hoc quidem argumentum decore non minus, quam eleganter, atque ita tractat, vt ſimul tacite propriam cauſſam maſcule tamen *p*) agat. Ipſum *Epiſtolae*, quam diatriben magis dixeris, argumentum, *viginti nouem capitibus* diſtributae, in explicandis erudite tum inſcriptionibus antiquis, tum nomiſmatis plerisque verſatur; quibus illo tempore CONRADI coniugis κειμηλιαρχειον ſuperbiebat. Ceterum inſigne hoc, atque ad omnis aeui homines memorabile monumentum, quemadmodum haud vulgarem tum latini ſermonis, tum antiquariae cognitinis facultatem, *Chriſtophori* partim fratris, partim mariti inſtitutione comparatam, & ſedula exercitatione maximis incrementis auctam, abunde oſtendit; ita tantum VELSERIAM illarum faeminarum gregi eximit, quas, inuita ſaepius minerua *q*) clararum litteris nomine adulatores compellant, quantum locum ipſi inter viros omnigena doctrina florentiſſimos adſerit minime poſtremum.

Conſtitueram ego mecum, vt in *Praefatione* paucis monui, hoc egregium Antiquitatis monumentum ex Apographo Bibliothecae Collegii olim *Societatis Ieſu* deſcriptum, in lucem proferre publicam, ſed anteuertit conſilium hoc meum Vir doctiſſimus *Hieronymus Andreas* MERTENS,

TENS,

TENS, Gymnasii ad S. *Annam* Augustae Rector, qui hanc VELSERIAE *Epistolam Ioanni Paulo* REINHARDO Historiarum & Antiquitatum in Academia *Erlangensi* Professori, suo olim didascalo, in grati animi testimonium inscriptam, primus omnium *Augustae* 1778. in 8. publici iuris fecit. Interea tamen sic res cecidit, vt me laboris, quem pro *Epistolae* memoratae editione susceperam, ac curae in idipsum impensae non omnino poenitere debeat; etenim *tres Epistolas*, duas nimirum CONRADI nostri, vnam vero *Michaelis* HVMMELBERGII, quarum argumentum ad dictam VELSERIAE *Epistolam* attinet, Apographo, quo vsus sum, studiose annexas, rei litterariae amatoribus proponendi facultatem mihi maxime benignitas fortunae seruauit; quibus cum caruerit *H. A.* MERTENSIVS, eas ego in APPENDICE huius *Vitae*, *n.* 1. 2. 3. in medium proferam. Caeterum est, cur magnopere gaudeam, quod hoc meo litterario labore perdocti Viri huius, Operum PEVTINGERI editionem molientis (Vide VELSERIAE *Epistolam* ad calcem) votum, scilicet vt sint, qui per Bibliothecas PEVTINGERI *Opuscula* & *Epistolas* sollicite scrutentur, atque conquirant, sin minus expleuerim (sentio autem hoc in mea potestate haud situm esse) saltem aliquo modo adiuuarim.

XX. *Schediasma, seu Opusculum rude & impolitum de Herbis*; cuius mentionem feci *Cap. II.* §. *III.* item §. *VIIII. n.* 7.

XXI. *Opusculum aliud valde rude & impolitum, de Vita sana conseruanda, Cap. I. De Curis.*

XXII.

XXII. Fafciculus paruus, quem *Noſter* inſcripſit: *Res Indiae.*

XXIII. Volumen iuſtae molis, ſat mundum, ſed mancum, non compactum, *de matrimonio.* Incipit:

Decreueram hoc ſaltem tempore de Matrimonio & cerimoniis Nuptiarum vetuſtarum, earumque ritu nobis pleraque annotare... Sed operae pretium, (iudicio noſtro) fuit, primum de hominum origine. *reliq.*

XXIV. Volumen aliud, compactum, in quo *Noſter Inſcriptiones veteres* permultas, & nonnullas *recentioris aetatis* conſcripſit.

Occurrunt praeterea in ſaepius memorata Bibliotheca Collegii Societatis Ieſu permulta *Genealogica*, & *Diplomatica* &c. quae *Noſter* ſibi comparauit; ſed (quod dolendum) non in vnum congeſta corpus, at enim diſperſa, atque in ſchedis: quas ſi quis vita tranquilla & liberiore fruens accuratius colligat, ſecernatque, tantum abeſt, vt habiturus ſit, cur ſuſcepti laboris paenitentia afficiatur, vt potius ſummam abs Republica litteraria gratiam certo initurus ſit. Vtrum autem *Noſter* in *Sueuorum Ducibus ac Regibus* accuratius deſcribendis multum progreſſus ſit, vti in *Epiſtola* quadam ſua r) *Nicolao* ELLENBOGIO Monacho Ottoburano promiſit, haud ſatis ſcio.

f) Huc facit *Epiſtolium* MSS. *Viti* BILD Caenobitae San-Vdalricani, *Auguſtae*, anno 1527. *Noſtro* ſcriptum: *Non te pigeat laboris, Vir clariſſime! quin* Librum

de Euchariftia *compleas ; immortale enim tibi per hoc nomen acquires , vt & Birckheimerus ille , vir equidem praestantissimus , sibi apud Eruditos quoque effecit. Perpulcrum enim erit , audituque iucundum , & Legum Professores diuinis operam impendere litteris.* In aliis quoque *Epistolis*, praefertim ad *Bilibaldum* BIRCKHEIMERVM (qui de eadem materia fcripfit) 1527. in die S. Lucae datâ BILDIVS huius Operis mentionem facit, fibique nonnullos fexterniculos infpiciendos communicatos fuiffe a *Nostro*, monet. Confule infuper (fi lubet) *Epistolam Nostri ad Bilibald.* BIRCKHEIMERVM , in *Documentis litterariis Io.* HEVMANNI , 1758. *Altdorfii.* in 8. vulgatis , extantem ; in qua harum *Conlectionum* mentio fit.

g) CONRADVS ifte adiit abbatiam *Caesareensem* anno 1509. mortuus eft anno 1540. Nefcio autem , quomodo factum fit , vt fe *secundum* eius nominis vocet ; cum *tertius* fuerit. Vide *P. Corbin.* KHAMM *Hierarchiam Augustan. p.* 3. *regular. p.* 229. De tempore vero, quo haec CONRADI *Epistola* ad *Nostrum* exarata fuit, inde coniectura fieri poteft, quod *Nostrum* compellet *Patritium Augustanum*, quem eundem anno 1538. creatum fuiffe , *Capitis I.* §. *VIII. sub finem* monui.

h) *Wolfgangus* ANEMOECIVS , Vir ea aetate inter Doctos minime poftremus , vernaculo fermone vocabatur WINDHAVSER ; Plura de eo , in *Bibliotheca* mea *Augustana* congeffi.

i) Huc referto Epiftolium *Viti* BILD Caenobitae San-Vdalricani Auguftae : *Si audii , clarissime Vir ! Praestantiam tuam aeque* fcriptis *atque experientia probatissima contra vertiginem habere remedia ; idcirco te humiliter & ex corde efflagito , vt, si mihi eodem periculoso morbo laboranti subuenire poteris , ne graueris operam amico impendere , vices a Deo O. M. recepturus. His valeat P. T. Deo commendata. Anno* 1526.

k) *Vitus* IMAGIVS idem eft , ac *Vitus* BILDIVS ; De hoc quoque plura collegi in mea *Bibliotheca Augustana.*

l) Ad hoc Opus , itemque ad antecedens fpectare videntur ea , quae , ex *Epistolae* VELSERIAE , *XXVIII. Capite* , fuperius hoc §. IX. *n.* XIX. attuli.

m)

m) Huic Operi accommodari possunt verba VELSERIAE, ex Eius *Epistolae, Capite* XXVII. superius hoc §. *IX. n. XIX.* allegata.

n) Ad hoc Opusculum attinet *Epistola* I. & II. *Nostri* ad *Vitum* BILD, inferius in *Appendice* huius *Vitae* ponenda.

o) *Hieronymus Andreas* MERTENS in *Marg.* VELSERIAE *Epistola* sub finem ait: LOTTERVM nullum inuenisse, qui *Collectionem Operum* PEVTINGERI redimeret, ob eamque caussam eorundem editionem non fuisse factam.

p) Illam etenim in hanc fere sententiam exorsa; *a cura domestica relaxata paulisper, studio litterario perfruebar, quo & plurimum oblectari soleo*, rel. postquam contrarium potius monstrare adlaborauisset, his verbis claudit: *& vt semel finiam, habes modo non solum eruditiorum, sed & aliorum vxores; quae, si studia virorum amplecti, & domesticae curae & labori coniugali invigilare noluerint, eas esse penitus incommodas atque inutiles. Haec pro ingenio meo perquam mediocri praefari conlibuit.* Ipsam tamdem *epistolam*, capite XXX, quod *Dedicatio operis* inscribit, ita absoluit: *Cum pene autem omnia vetustatis monumenta ab Italis vel Romanis tuis*, (degebat autem tum *Romae* CHRISTOPHORVS) *occupata sunt, nullusque nobis, & forte etiam frigidiori caelo natae*, (fallimur, an tacite pungit IOANNEM FRANCISCVM MIRANDVLAE comitem, qui in *litteris* Mantua XV. Aug. An. MDVI. ad CONRADVM *Maritum* scriptis *Germanis* obiecerat, quod *frigido caelo nati essent, & perpetua quasi glacie torperent*; vnde fiat, *vt citius fere pariat elephas, quam ipsi aliquid operis in lucem edant*; addiderat tamen, *quum tam longae foeturae incubent, maturiores fortasse partus in lucem edere*:) *scribendi locus conceditur; videorque mihi in alieno foro litigare. Ne tamen ingeniolum nostrum sine stilo, lectione sola, obruatur, sed maiorem in modum excitetur, haec, quantum imbecillitas passa est, Conlectanea manu nostra scripta, paucis expedita verbis, inculta vel nuda potius, ad te dono mittimus; tibi dedicamus. Rogo sororis tuae opus animo fraterno suscipias, & si quae non recte conlocata inueneris, pro tua prudencia castigabis, vt corrupta auspicatissime in integrum restituantur, & tamdem nominis tui splendore inlustrata*

 Romae

Romae, si non Augustensia, in lucem prodire saltim non erubescant Augustana. Patet ex postremis hisce verbis PEVTINGERIAM voluisse, vt, curante *fratre*, typis *Romanis* ederetur haec *epistola*; num factum sit, haud liquet. Ceterum, vbi nos primum illam legimus, in mentem veniebat recordari eorum, quae PLINIVS noster *Lib.* I. *Ep.* XVI. de POMPEII SATVRNINI vxore, *eruditissima femina*, eiusque *epistolis* ad *Euricium* amicum scripsit: *legit mihi nuper epistolas*, (Saturninus) *quas vxoris esse dicebat. Plautum vel Terentium metro solutum legi credidi. Quae, siue vxoris sunt, vt adfirmat, siue ipsius, vt negat, pari gloria dignus est, qui aut illa componat, aut vxorem, quam virginem accepit, tam doctam politamque reddiderit.*

q) *Michael* HVMMELBERGIVS miris laudibus praedicat eruditionem VELSERIAE in *Epistola* sua, *n.* 2. inferius in *Appendice* huius *Vitae* reperienda, ob hoc ipsum Opus, sibi a PEVTINGERO communicatum.

r) Inuenitur haec *Epistola* ad finem *Sermonum conuiualium* PEVTINGERI, *Augustae.* 8. 1781. impressorum.

X.

Satis haec quidem, pro instituti ratione, videri possent de *Scriptis* NOSTRI siue *editis* siue *ineditis* disputata fuisse; sed vnici adhuc addenda, vel potius iteranda est mentio, quod dubium adhuc, an prorsus ad PEVTINGERVM pertineat, eique adscribi debeat?

Scilicet auctor est MELCHIOR GOLDASTVS s) conditorem haberi nostrum Commentarii alicuius *historici*: *Von viel vnd mancherley historien in viel Landen vnd Gegenden geschehen von dem Iahr* 903. *biß auf* 1521. Commode hoc ipso, dum LOTTERVS vitam *Nostri* scribebat, tempore accidit, vt Lipsiam adpelleret vir generosus, PAVLLVS a STETTEN, *patricius Augustanus*, in

in itinere per Germaniam conſtitutus; atque ſermone, vt fit, his de rebus habito eum humaniſſime doceret, non vidiſſe ſolum, ſed poſſediſſe etiam aliquando ſe hunc ipſum *Commentarium* typis exſcriptum, qui tamen nec autoris, nec loci impreſſionis, neque aetatis vllum indicium prae ſe ferret: ceterum *rebus* fere vnice *Auguſtanis* ad *annalium* morem deſcriptis abſolueretur: neque vero adeo diſſimile veri eſſe, a PEVTINGERO ex *antiquis Chronicis* libris concinnatum atque in priuatos forte tum ſuos tum amicorum vſus excuſum litteris fuiſſe. Conferto, ſi lubet *P. a* STETTEN *Lebens - Beſchreibungen zur Ervveckung &c. p.* 133. 134. Non omnino multis abhinc annis Vir Clar. *Felix Andreas* OEFELIVS inter *Scriptores rerum Germanicarum, praecipue Boicarum, Tom. I. p.* 613. exhibuit legentibus *duo Chronica* perbreuia ex ſchedis CONRADI noſtri, quae ſibi, aliud forte quaerenti, in codice manuſcripto Tabularii patrii ſignato *Tom. I. der Reichshaendel* ab A. C. 1440. ad annum 1486. occurriſſe teſtatur. Inſcribuntur illa: *Breue Chronicon Boioariae & Sueuiae, ab Anno* 906. *ad annum* 1280. &: *Breue Chronicon Auguſtanum ab anno* 1256. *ad annum* 1467. Num illa fragmenta ſint paulo ante memorati operis, an ab illo diuerſa, dubium, incertum vero quam maxime, vnde haec duo Chronica CONRADVS noſter deſcripſerit. De reliquo conſule ſuperius §. *VII. n. VIII. & X.* Quidquid autem hac de re ſit, donec luculentiori olim forte notitia illius perfrui liceat, praeſenti, qualiscumque demum eſt, contenti ſimus. Ceterum de alio adhuc quodam *monimento Peutingeriano* maiori cum diligentia diſſerendum nobis ſupereſt. Celebres illas innuimus

antiquioris aeui reliquias, *tabulam* nempe *Peutingerianam*, quam *Franciſcus Chriſtophorus de* SCHEYB *in Gaubickolheim* Patr. Conſtant. poſt multos alios, ex ipſo autographo accuratiſſime deſcriptam Viennae Auſtriae Anno 1753. fol. maximo, ad *Mariam Thereſiam Auguſtam* Auſtriae &c. Reginam publicauit, addita diſſertatione ſex capitibus diuiſa; quam, dum fuſius expono, rem mihi facere videor, neque a propoſito alienam, neque cognitu ſiue inutilem ſiue iniucundam. *Capite* itaque diſſertationis memoratae *primo* geographicae Veterum Tabulae, & Itineraria ex omni hominum memoria in Eruditorum notitiam reuocantur. *Capite ſequenti Tabulam Peutingerianam Theodoſii Magni* cura & mandato Anno Chriſti CCCXCIII. adnotatam, pictamque eſſe ſtatuitur. *Capite tertio* fortunae varietas, qua volumen authenticum *Itinerarii Theodoſiani*, ſive *Tabula Peutingeriana* ab anno aerae vulg CCCXCIII. vsque ad annum MDCCLIII. iactata eſt, pedetentim inveſtigatur. In hoc capite, primum ſe priori probauiſſe, innuit: *Conſtantinopoli* anno 393. hanc *Tabulam* confectam fuiſſe, inde *Mediolanum*, *Theodoſio* illuc poſt reportatam ab *Eugenio* victoriam ſe conferente, transportatam, neutiquam dubitare ſe aſſerit. *Rauennae* eandem aliquamdiu extitiſſe, *Iornandis* Epiſcopi teſtimonio probare nititur, ibique cognitam ab *Anonymo Rauennate* fuiſſe. Verum in his minus inſiſtens, pergit *Mediolano Tabulam* memoratam, exciſo Romano Imperio, a Barbaris vna cum coeteris ſpoliis ablatam, & in qnandam Germaniae vrbem transuectam fuiſſe; & *Spirae* ante annum 1439. a *Malleolo* viſam multis euincere conatur. Ibidem anno adhuc

huc 1490. visendam extitiſſe tenet. Annis deinde ſequentibus a *Conrado* CELTE *Protucci* *Spirae* inuentam, & ab eodem apud *Conradum* PEVTINGERVM *Auguſtae* depoſitam *B.* RHENANI teſtimonio euincit; quod etſi non ſupereſſet, tamen de ea re fidem facerent, quae *ſuperius* de aliis vetuſtiſſimis Codicibus a *Conrado* CELTE apud *Noſtrum* depoſitis *Cap. II.* §. 3. diximus. Porro, quae, dum viueret CELTES, *Tabula* apud PEVTINGERVM depoſita ſeruabatur, poſt CELTIS obitum PEVTINGERI propria eſſe coepit, vtpote *Noſtro* teſtamento legata *t*). Eius formam deſcripſit olim *Michael* HVMMELBERGIVS in *Epiſtola* ad *B.* RHENANVM *infra* apponenda; in qua ait: *Celticum* ὁδοιποϱικὸν *omnino non eſt quod* ἐιρηνικοσ *allegat. Vnica Tabella, eſt membranea longitudinis XVIII. foliorum papyri. Ciuitates, flumina, montes & itinera non modo ſcriptura ſignata, ſed etiam pictura habet notata.* Quanti vero hoc vetuſtatis fragmentum fecerit PEVTINGERVS, comprobant ea, quae in *Epiſtola* eadem paulo inferius leguntur: *Superioribus annis praeſente D. Maximiliano Orator Regis Gallorum pro hac Tabella* PEVTINGERO *obtulerat LX. Coronatos, cui ille: Placerent quidem Coronati nummi, ſed vetuſtatis hoc monumentum magis placet, quam vlla pecunia, qua vel aeſtimari poſſit, vel vendi.* Haec tamen minus obſtitere, quin illius inſpiciendi facultatem Eruditis faceret, amicis advenisque eruditis, qui frequentes tunc admodum PEVTINGERI viſendi cauſa acceſſerant, ſumma cum laetitia oſtendens. Inter hos non poſtremus *B.* RHENANVS primus fere in publicis ſcriptis *u*) *Tabulae* iſtius mentionem fecit. Ea res effecit, vt Eruditorum vota in id

conſpirarent, hanc *Tabulam* typorum ope iuris publici factum iri. Quorum petitioni ſatisfacturus *Noſter* illius delineationem inſtituiſſe videtur. Nam initium *Tabulae*, dimidium fere pedis complectens, bis in diuerſis ſchedis, & diuerſa manu deſcriptum multis poſt annis, vt infra dicemus, a VELSERO in *Peutingerorum* Bibliotheca repertum fuit; accedit, PEVTINGERVM *Priuilegium impreſſorium* (quod vocant) a *Maximiliano* Imperatore impetrauiſſe infra attexendum *x*). Interim PEVTINGERO editionis conſilium vel differenti, vel abiicienti mors obrepſit, atrisque tenebris involuta *Tabula*, de qua agimus, latuit, dum elapſo 40. annorum ſpatio *Marco* VELSERO, & *Peutingerianae* familiae affinitate coniuncto, & antiquitatis perueſtigatori intelligentiſſimo ſchedae illae paulo ante memoratae allatae ſunt, quas ille eruditiſſimo *Commentario* inſtructas *Venetiis* typis *Aldinis* 1591. in 4to edi ſubito curauit hac epigraphe: *Fragmenta Tabulae antiquae, in quis aliquot per Rom. Prouincias itinera. Ex Peutingerorum Bibliotheca, edente & explicante M.* VELSERO, *Matthaei filio.* Opuſculum VELSERVS Viro illuſt. & nob. *Iacobo* CVRTIO *a Senfftenau* S. R. I. Procancellario dicauit. Vt vero horum fragmentorum editione auidi rerum geographicarum Lectores ſummopere delectabantur, ita cum VELSERI tum aliorum virorum litteratorum vota eo collimabant, vt aliquando res litterarum publica inſignis huius ſacrae vetuſtatis monumenti compos effici poſſet; vtque VELSERVS nullis laboribus in illo indagando pepercerat, ita tandem circa annum 1598. ſuperata fortunae pertinacia Authographum ipſum in *Peutingerorum* ſcriniis repe-

reperire eidem licuit. Eius rei fama invalescente Eruditi certatim apud VELSERVM precibus contenderunt, vt illius copiam sibi faceret, & edendi gloriam operis impertiretur. Praeualuit *Abrahamus* ORTELIVS Regis Hispaniarum Geographus, praecipuus VELSERI amicus, & ipse *Tabulae* huius per 20. &, quod excurrit, annos sollertissimus inuestigator, qui Apographum ductu *Ioannis* MOLLERI Typographi *Augustani*, vt MERVLA in *praefatione ad* suam *Cosmographiam* docet, auspiciis vero VELSERI descriptum, ab ipso VELSERO accepit; qui dum editionem illius curat, laudabili consilio immortuus *Ioanni* MORETTO nobilissimo *Antuerpiensium* Typographo illius perficiendae negotium demandauit, qui veteris amici voluntati obsecundans *Tabulam Itinerariam* saepissime laudatam anno 1598. *Antuerpiae* publicauit. Ex illo tempore pluribus vicibus typis exscripta fuit; Primum eam *Petrus* BERTIVS *Ludouici* XIII. Gallorum regis Cosmographus *Ptolemaeo* suo 1618. inseruit. Eandem anno 1653. *Ioannes* IANSONIVS in accuratissima orbis antiqui delineatione *Amstelodami* vulgauit. Comparuit etiam in editione operum *M*. VELSERI a *Christophoro* ARNOLDO 1682. *Norimbergae* accurata; posthaec eam *Georgius* HORNIVS anno 1686. in *Geographia Veteri*, ac demum *Nicolaus* BERGIERIVS in *Commentario de publicis & militaribus Imperii Romani viis*, bis *Bruxellis* circa annum 1728. & 1736. gallice edito, exhibuit. Nouas etiam huius *Tabulae* editiones a viris Clariss. *Claudio* NICASIO, *Mensone* ALTINGIO, *Adriano* RELANDO, *Henrico Christiano* HENNINIO meditatas fuisse, sed morte interueniente discussas

LOTTERVS noſter tradidit. Verum dum haec geruntur, *Tabulae Autographum*, denuo ab omni hominum conſpectu remotum, atra nocte conſepultum iacuit, donec id anno 1714. illuſtris & ampliſſimus *Wolfgangus Iacobus* SVLZERVS filius, Iulio menſe *Peutingerorum* Bibliothecam priuatis adhucdum aedibus recluſam perluſtrans, ſquallore & puluere obductum, nec pro dignitate in obſcuri cuiusdam anguli tenebris reconditum offendit. Eo ſuadente *Paulus* KÜZIVS Bibliopola *Auguſtanus* ab *Ignatio Deſiderio* PEVTINGERO, de quo ſupra inter CONRADI noſtri poſteros diximus, ſalubri pretio redemptam, dum vixit, tenuit, moriens haeredibus reliquit. Multos *Helenae* huius procos fuiſſe conſtat, vt Ser^mum *Ducem Brunsuico - Guelferbytanum*, Ampliſſimum *Senatum Lipſienſem*, Perilluſtr. *Hieronymum Guilielmum* EBNER *ab Eſchenbach* ſenatorem *Norimbergenſem*, *Chriſtianum Gottlieb.* SCHWARZ Profeſſorem Altdorfinum, Eminent^mum S. R. E. Cardinalem PASSIONEVM; donec tandem illam Ser^mus. Sabaudiae Princeps *Eugenius* centum aureorum pretio coemptam ſuae *Bibliothecae* anno 1720. intulit; quo fatis concedente in Auguſtam Bibliothecam vna cum ceteris incomparabilibus Theſauri litterarii gazis memorati Principis tranſiit; ex quo Muſarum ſacrario illam Vir perilluſt. de SCHEYB, nunc b. memor. ita permittente *Gerardo Barone van* SWIETEN Auguſtiſſimae Archiatro, & Bibliothecae ſupremo Praefecto, ex Autographo tranſumtam euulgauit, addita vt ſuperius monui erudita *diſſertatione*, ex qua haec fere omnia delibauimus. Sed ad argumentum *diſſertationis* redeo. Igitur *quarto* poſt *Capite* prae-

ſtantia

ſtantia excellentiaque nouae editionis oſtenditur: errores priſtinarum editionum indicantur: laudes *Tabulae* & adpellationes, quibus authenticum illius Exemplar ab Eruditis inſignitur, enumerantur. *Quinto* conſtitutio, & vſus *Tabulae Peutingerianae* explanatur. *Capite ſexto Itinerarium Theodoſianum, & Antoninum*, vt vulgo vocari ſolet, comparantur. Acceſſit ad finem operis *index topographicus. y*)

s) GOLDASTVS *de bello Bohemico* lib. IV. cap. VIII. §. 3. p. 473. atque ex hoc IO. DECKHERVS *de ſcriptis adeſpotis*, num. 268. p. 41. editionis Cel. FABRICII ad calcem *Anonymorum* PLACCII; qui idem refert in *theatro* p. 463. n. 1827.

t) Ita ipſe PEVTINGERVS in Catalogo ſuae Bibliothecae notauit, vt videre eſt in *Tabula Peutingeriana itineraria* a Viro clar. *de* SCHEYB edita, *p.* 33. *in Nota p*) Idem confirmat *Noſter* in Tractatu *de Morinis*, vbi ait: *& in Itinerario noſtro manuſcripto . . . quod nobis Conradus* CELTES *teſtamento ſuo legauit.*

u) B. RHENANVS in *Commentariis rerum Germanicarum* plurimis locis, vbi illam modo *prouincialem*, modo *itinerariam*, modo *militarem* adpellat. Alii & *Theodoſianam* dixerunt, ad aetatem maxime reſpectu habito. Confer. (ſi lubet) *Epiſtolam* poſtremam *Mich.* HVMMELBERGII *inferius* in *Appendice* adtexendam.

x) Placet huc integrum transſcribere *Imperatoris diploma*, quod Vir clariſſ. *Ioannes Iacob.* HASIVS caſu abs ſe alicubi inuentum, ἀυτογραφον tamen, communicauit *Lotter*; & hoc eſt:

MAXIMILIANVS Diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper auguſtus, ac Germanie, Hungarie, Dalmatie, Croatie, &c. Rex, Archidux Auſtrie, Dux Burgundie, Brabantie, &c. Comes Palatinus, &c. Quod ſi & Nos pro ſolita noſtra clementia, eos, qui ſtudia literarum colunt, plurimum diligimus, illos tamen precipua & ſingulari gratia noſtra proſequimur. Quorum induſtria libri & monumenta Venerande Vetuſtatis quottidie exquiruntur. Et ne penitus obruantur, in lucem emittuntur in communem omnium vtilitatem.

Cum

Cum itaque honorabilis Conradus Peutinger, Iur. V. Doctor, Consiliarius noster fidelis dilectus, Exemplaria Itinerarii Antonini Caesaris Predecessoris nostri, & Pauli Foroiuliensis Longobardi, & Iornandis Gotti de rebus Longobardorum & Gottorum sua diligentia conquisiuerit & exscribi curauerit, quos etiam in gratiam nostram, & commodum veritatem Historie scire volentium formis excudi, atque in publicum prodire constituit. Ne ergo dispendium aliquod patiatur, hanc sibi gratiam fecimus, & concessimus, & tenore presentium facimus. & concedimus, ne quis in vniuerso Rom. Imperio, & omni ditione nostra per continuum Decennium subsequens ab ea die, qua dicti libri ex ordinatione ipsius Consiliarii nostri impressi fuerint, citra, preter, & contra eius voluntatem, & scitum predictos libros & chartas imprimat, vel imprimi faciat, nec etiam alibi impressos in eodem nostro, & sacro Rom. Imperio vendat, vel vendi faciat. Sub pena ammissionis Cartarum, & Librorum quorumcunque sine praedicti Consiliarii nostri voluntate & assensu. Quos etiam de facto idem noster Consiliarius, vbicumque eos compererit, accipere, & in sui vtilitatem conuertere poterit. Harum testimonio litterarum sigilli appensione munitarum. Datum in Oppido nostro Friburgi die prima Mensis Martii anno Domini millesimo quingentesimo vndecimo, Regnorum nostrorum Romani vicesimo sexto, Hungarie vero vicesimo primo.

Ad Mandatum Caes. Maiest. ppium.

Ceterum, quum *Itinerarium Antonini* in *diplomate* adpelletur, adparet PEVTINGERVM *tabulam* suam pro vna eademque cum ipso tunc habuisse; quam tamen insigniter ab illo discrepare proximo mox anno facili negotio discere poterat, quum anno MDXII. CHRISTOPHORVS LONGOLIVS *Parisiis* apud *Henricum Stephanum* primus *Itinerarium Antonini* emitteret.

y) De hac *Tabula Peutingeriana* satis prolixam *Commentationem* scripsit quoque noster LOTTERVS, eamque *Lipsiae* 1732. 4o. publici iuris fecit.

XI.

Superest, vt de *amicis* adhuc aliqua commemoremus, quorum admodum multos in longiore

re vita & tanta nominis celebritate *noster* sibi conciliauit. Enim vero quum nemo fere fuerit isto tempore, qui studia, vt non simul PEVTINGERVM, amaret: plurimi etiam, quod multum ipsum fide, multum intelligentia praestare cognouerint, eius consilio in negotiis, iudicio in studiis vti percuperent; existimatu facile est, *Nostrum* quamplurimos sibi amicitia iunctos habuisse, eoque magis horum increuisse numerum, quo paratior ille fuit teste *Vdalr.* ZASIO in *Epistola* praeuia *Sermonum conuiualium* NOSTRI, *non solum desiderantes recipere in suam amicitiam, sed etiam ad eam prouocare vltro*; adeo vt accurata eorum designatio non desperari tantum possit, sed prorsus quoque debeat. Verum quoniam LOTTERVS aliquid in hac re ausus est, ego quoque, ne Lectoribus quidquam subtraxisse videar, & eos, quos LOTTERVS commemorauit, & alios insuper nonnullos nominabo. Itaque hi sunt *Conradus* CELTES maximi nominis vir z) *Michael* HVMMELBERGIVS *Rauenspurgensis* a) *Henricus* BEBELIVS *b*) *Iacobus* ZIEGLERVS *c*) *Ioannes* OECOLAMPADIVS *d*) *Ludouicus* VIVES *e*) *Thomas* MORVS *f*) *Ioannes* COLERVS, Ecclesiae *Curiensis* Praepositus g) *Vincentius* QVIRINVS *h*) *Hieronymus* FROBENIVS, *Paulus* MANVTIVS, *Ioannes* HERVAGIVS *i*) *Vitus* BILDIVS Monachus San-Vdalricanus *Augustae k*) *Wolfgangus* ANEMOECIVS *l*) *Beatus* RHENANVS *m*) *Vlricus* ZASIVS *n*) *Thomas* VOLPHIVS *o*) *Ioannes Franciscus* PICVS *Mirandulanus p*) *Hermannus Comes a* NVENAR *q*) *Bilibaldus* BIRCKHEIMERVS *r*) *Martinus* LVTHERVS *s*) *Georg.* SPALATINVS *t*) *Conradus* MVCIANVS

NVS

NVS *u*) *Andreas* ALCIATVS *x*) *Desiderius* ERASMVS *y*) *Iacobus* SPIGELIVS *z*) *Ioannes* FABER *a*) *Petrus* BONOMVS *b*) & sexcenti alii. Eminent tamen inter illos *triumuiri* huius aetatis maximi, IOANNES TRITTHEMIVS, IOANNES REVCHLINVS, VLRICVS HVTTENVS; quorum quidem inlustribus exemplis, quum omnes persequi iam haud liceat, ostendere vel duobus verbis placet, quomodo *amicis* vsus sit PEVTINGERVS; vnde de reliquis facile fuerit lectori argumentum capere. TRITTHEMIVM quidem ita amauit, vt secum habere *Augustae*, vehementer cuperet, atque hanc ob rem apud Imperatorem MAXIMILIANVM de honesto ipsi stipendio, aliisque rebus ad vitae vsum necessariis, prospiceret: *c*) quod tamen ille accipere renuit. *d*) Hinc est, quod capere nequeam, quomodo accidere paucis post haec annis potuerit, vt *Noster* tam grauem accusationem, qualem *superius* exposui, aduersus *Tritthemium* perscriberet; quam veram esse, ex vna parte *Tritthemii*; falsam esse, ex altera *Nostri* probitas candorque vix permittere videtur. REVCHLINI vero caussa quantum cupiuerit *noster*, & quam strenue ipsius partes apud MAXIMILIANVM tuitus sit, amplissima itidem documenta restant. *e*) in HVTTENO denique insigne etiam beneuolentiae documentum edidit, dum, amici honoribus experturus quantum *Caesaris* gratia valeret, ipsum ita commendauit *Imperatori*, *f*) vt illi in magno atque frequentissimo procerum consessu lauream poeticam non sine summae clementiae significatione imponeret. *g*)

z) CELTES suum erga *Nostrum* amorem pulchre comprobauit, dum ei *Tabulam itinerariam*, illud singulare prorsus Antiquitatis monumentum, testamento legauit.

a) Hunc PEVTINGERO amicissimum fuisse, litterae vltro citroque missae, inferius in *Appendice* huius *Vitae* ponendae, probant.

b)

b) *Nostri* erga se humanitatem laudat BEBELIVS in *Epistola* ad HVMMELBERGIVM, 1513 22. Decembris, his verbis: *Fui cum* PEVTINGERO *Augustae, humanissime exceptus: & cum nobis fuisset disputatio de variis controuersiis, ego scripsi ad eum meam opinionem: Eluecios esse Suiceros, non Elsaticos &c. &c.*

c) Hic suam cum *Nostro* amicitiam testatus est, dum ei *Syriam, Palaestinam, Arabiam* &c. anno 1532. *Argentorati* a se editam, dono misit, coloribus scite & eleganter ornatam.

d) OECOLAMPADIVS in signum suae erga *Nostrum* amicitiae eidem *Diogenem Laertium*, 15:4. *Basileae* a se vulgatum donauit cum sequenti epigraphe: *Oecolampadius patrono suo Chuonrado Peutingero pro strenis dono mittit.* Haec tamen mutua amicitia non impediit, quo minus *Noster* errores *Oecolampadii* improbaret, & *Nauclero* suo *General.* XXXVI. *fol.* 156. *b. de reuocatione Berengarii* adscriberet: *Hic error repetitus est per Vdalricum Zuvinglium Turicensem, & Joannem Oecolampadium Vinimontanum aetate nostra.*

e) De hoc ait *Noster*: *Ludouicus Viues eruditus & charissimus amicus noster. Brugis Viuem nostrum agnouimus: ibidem & Erasmus & Morus me conuenerunt.*

f) Amicitiae *Mori* erga *Nostrum* insigne documentum retuli *superius, Cap. II.* §. *III.*

g) Hic a PEVTINGERO *municeps & affinis* vocatur, & *Nostro* membranas veteres ex *Curiensi* Bibliotheca mutuas submisit. *Noster* ei Opus suum contra *Anabaptistas* sacrauit, vt *superius* docui.

h) Huius amicitiae testimonium reddit *Noster*, dum suae *Explanationi Origenis in Epist. Pauli ad Roman.* 1506. *Venetiis*, per *Simonem de Lucro* impressae haec adscripsit: *Hoc Origenis Opus Vir summae potestatis & eruditionis maximae, D. Vincentius Quirinus, Orator Venetus ad Imp. Caes. Maximilianum Augustum, mihi Chuonrado Peutingero in aedibus meis Aug. Vindel. dono dedit.* Fuit autem ille in aedibus Peutingeri 1530. Idib. Iulii cum *Luca* BONFIO Ecclesiae *Patauinae* Decano, Card. *Campegio* a secretis epistolis; id quod iterum PEVTINGERVS ad *Nicol. Leonici Dialogos, Venetiis.* 1524. 4. editos adnotauit.

i)

i) Inclyta haec Typographorum trias suam in *Nostrum* amicitiam demonstrauit dono missis libris, quos procuderant, in Bibliotheca *Peutingeriana* adhuc extantibus.

k) *Nostrum Vito* BILDIO amicissimum fuisse docent Epistolae *Nostri* in *Appendice* huius *Vitae* subnectendae.

l) Hunc *amici praecipui* titulo dignatus est *Noster*. Vide *superius* §. *IX*. *n*. *IV*.

m) Amicitiae cum *B*. RHENANO cultae testes sunt Libri *Nostro* muneri missi anno 1513. item Epistola *Nostri* in *Appendice* huius *Vitae*, *n*. *XI*. in qua RHENANVM non solius HVMMELBERGII, sed & *suum* esse pertendit. Consule etiam *inferius*, *Epistolam XIV*.

n) *Vlricus* ZASIVS *amicus meus praecipuus*. Ita in Catalogo Bibliothecae *Peutingerianae* legit OEFELIVS. Huius insuper amicitiae testes sunt carmina ZASII ad *Nostrum* haud dubie inedita, quae in Bibliotheca Collegii augustani Societ. Iesu in schedis vidi vna cum aliis nonnullorum Virorum doctorum poematibus pariter, vt credibile est, ineditis.

o) *Thomas Vulphius Argentoratensis iunior*, *dum viueret*, *optimus meus erat amicus*. Ita in citato Catalogo legit idem OEFELIVS.

p) Fuisse anno MDII. MIRANDVLANVM *Augustae* pro suis oppidis & fortunis periclitantibus apud Caesarem deprecaturum, ex *Epistola* inde ad PIRCKHEIMERVM, XVIII. Kal. Ian. scripta constat; quo tempore verisimile est hanc amicitiam primum contractam fuisse, mutuis posthaec officiis studiose cultam. *Vide superius C. II.* §. *VIII*.

q) Confer clariss. IO. FRID. CHRISTII *Noctium Academicarum* specimen III. pag. 249.

r) CONRADVS RITTERSHVSIVS in *vita Pirckheimeri*, quam GOLDASTVS huius *Operibus* praefixit, p. 25. *amicis*, ait, *Pirckheimeri merito adiungimus Conradum Peutingerum*, *ICtum Augustanum*, *ipsum quoque Caesaris Consiliarium & insignem Antiquarium*, *qui & Alciato*, *& aliis*, *qua exteris*, *qua ciuibus viris clarissimis magno in precio habitus fuit*.

s)

s) Ipse LVTHERVS hac de re in *epistola ad* SPALATINVM, *Epistolarum* tomo I. n. 62. p. 83. b. *coenaui heri apud Conradum Peutinger, doctorem & ciuem, & virum qualem melius nosti; qui vnus omnium est in mea re studiosissimus, nec segnius Senatores alii.* Hoc tamen in *Lutherum* studio nequaquam eo prolapsus est *Noster*, vt eius dogmata non improbaret. Quin potius illi horum retractationem persuadere plurimum conatus est, vti dictum est *superius*, *Cap. I. §. VII. in Notis.*

t) CHRISTIANVS SCHLEGELIVS in *historia vitae Spalatinianae* §. XLIV. litt. Bb.

u) VILELMVS ERNESTVS TENZELIVS *in vita Mutiani* sub titulo *supplementi primi ad Casp. Sagittarii historiam Gothanam. Ienae* MDCCI. 4. edita.

x) ALCIATVS *Nostro Emblemata* sua dicauit. Vide hanc *Dedicationem.*

y) Exstat inter *Epistolas Erasmianas, Operum* tomo III. vna ad PEVTINGERVM amoris atque officii plenissima.

z) Vide SPIGELII dedicationem *Epigrammatum Ioannis Sapidi* An. MDXX. editorum ad Peutingerum.

a) Hic, cognomento *Augustanus* dictus, erat Caesari ab orationibus sacris, & ab ERASMO PEVTINGERO enixe commendatus *epistola* illa quam not. *y)* indicauimus. Conf. IACOBI ECHARDI *Biblioth. Praedicator.* tom. II. p. 80. exstat huius FABRI insigne *elogium* PEVTINGERI in *oratione funebri* MAXIMILIANO Imp. habita, apud FREHERVM *Script. German.* tom. II. p. 405. vbi ipsum *omnium litteratorum ac litterarum optimarum decus & gloriam* adpellat.

b) Hunc *secretarii* titulo apud MAXIMILIANVM *Imperatorem* insignem anno MCCCCXCVI. *Augustae* fuisse, *epistola* inde a. d. XXI. Aprilis ad REVCHLINVM data, interque *Reuchlinianas* obuia, testatur, quo primum tempore PEVTINGERO ipsum innotuisse, & ex studiorum similitudine amicitiam conciliatam credibile est. *Episcopatum* posthaec *Tergestinum* adeptus, quantum doctrinae ipsius fauerit, *epistola Sermonibus conuiualibus* praemissa luculenter patet. Exstare perhibent GESNERVS in *bibliotheca* p. 546 a. HENDREICHIVS in *Pandectis Brandenburgicis* f. 651. & VGHELLVS *Italia sacra* tom. V. col. 582. n. 46. *epistolas Bonomi* singulari Volumine com-

prehensas, quas inter haud dubie etiam fuerint ad PEVTINGERVM missae.

c) Pararium hac in re agebat communis vtrique amicus PIRCKHEIMERVS, qui ita in *epistola* ad TRITTHEMIVM Kal. Iul. anno MDVII. CELTIS *vero ac praecipue* PEVTINGERVS *me rogarunt, vt ad te scriberem, & intelligerem, an tibi animus esset, (habito stipendio a serenissimo rege nostro) Augustam te conferendi: se enim operam daturos, vt tibi honesta offeratur conditio. Offerunt & domum & alia quamplura, quibus habitis ociose philosophari possis procul ab omni strepitu. Tuum igitur considerare erit, quid tibi faciundum sit*; rel.

d) Ita enim post octo dies *Herbipoli* ad PIRCKHEIMERVM scripsit TRITTHEMIVS: *Conditionem per* CELTEM & PEVTINGERVM *mihi propositam, vt litterae tuae significabant, cum sim monachus & regularis disciplinae professor, non conuenit acceptare; gratias tamen ago viris illis amicis Celti & Peutingero quantas possum ingentes, qui pro me curam habentes meae consulere paupertati & desolationi non contemnunt. — Amicis munificentissimisque viris Peutingero & Celti rescripturus meo nomine gratias agito.* Neque minus grauiter idem in *epistola* ad PEVTINGERVM, a. d. VI. Sept. scripta: BILIBALDVS PIRCKENHEYMER *communis noster amicus scripsit ad me ante paucos menses, eam mihi conditionem ad instantiam tui & amicorum a regia maiestate dispositam, qua, si velim, sub certo sufficientique stipendio, quoad vixero, libere mihi deinceps liceat in ciuitate Augustana philosophari: domum quoque aptam cum ceteris vitae necessariis copiose fore constitutam, nihilque restare amplius, nisi quod meum in his duntaxat praebeam consensum. Gratias Caesareae ago maiestati, tibi quoque & ceteris in communitate amicis habeo non vulgares, pro tanta beneuolentia in me vestra.* Conditionem *vero, quam mihi proponitis, nullatenus acceptare possum. Quod si Maiestas regia pro chronicorum aeditione meo delectatur officio, voluntarius & paratus sum hic in meo facere coenobiolo, quidquid lucubrandum iniunxerit, modo labor ipse meus aliquantulum pro loci recompensetur necessitate, ne grauis persona iudicetur mea alienis intenta, vel onerosa. Amicissimo tamen adfectui tuo erga me gratias iterum atque iterum ago, & ne moleste feras hanc meam sententiam, rogo.*

e)

e) Nemo tam rudis est rerum, quae ante nos gestae sunt, qui *Reuchliniani* illius *certaminis* tantis ab aduersariorum parte animorum motibus agitati *historiam* ignoret. Nemo etiam est, quem fugiat, illa aetate prouti optimus quisque fuerat atque doctissimus, ita REVCHLINI ipsum caussae maxime fauisse. Hos autem inter minime postremus erat PEVTINGERVS. Etenim veluti pridem quam ortum illud fuisset, quod anno MDX. contigisse nouimus, amicissimum eumdem habebat; ita etiam posthaec nullum temere officii uersus ipsum apud *Caesarem* praecipue, argumentum praetermisit. VLRICVS HVTTENVS fidissimus itidem REVCHLINI παραστάτης, in *epistola* ad NVENARIVM, quae inter *acta Reuchliniana* a celeb. viro HERMANNO VON DER HARDT studiose conlecta, & in *historia reformationis litteraria*, quam is adpellat, iunctim edita parte II. p. 146. exstat: *sed & iam nunc multi clari viri nobiscum faciunt. Quippe* CAPNIONIS *caussam potens in sua ciuitate tuetur apud Norimbergam B.* PIRCKHEYMER, *Augustae* PEVTINGERVS, *in Pannoniis & Viennae* CVSPINIANVS, *vterque opibus pollens ac eruditione splendidus.* PIRCKHEYMERVS in *epistola apologetica ad* LAVRENTIVM BEHEYM, Canonicum Noribergensem, *Nurenbergae* VI. Non. Octobr. An. MDXVII. per *Fridericum Peypus* impressa, & apud eundem HARDTIVM *l. c.* p. 133. a. obuia: *Nunc vero*, scribit, *personati & digno operculo tecti omnia etiam in omnes sibi licere arbitrantur* (Colonienses). *Nam, vt reliquas eorum sileam ineptias, nonne hoc piaculo vel risu potius dignum, quod tot tantosque viros tam effrenate lacessere, tam petulanter sugillare non verentur. Conradum Peutingerum, Io. Cuspinianum, qui ambo, praeter iuris lauream ea fulgent dignitate, vt diui quoque Caesaris etiam secretioribus adhibeantur consiliis*; rel.

f) Narrat ipse hanc rem HVTTENVS in *epistola* ad ERASMVM Bamberga MDXVII. d. XII. Iul. scripta, & inter *epistolas Erasmianas* in appendice num. CLIII. Opp. tom. III. p. 1618. obuia, verbis: *Venetiis ad Germanos nostros redii, cumque Augustam appulissem, in* PEVTINGERVM, IACOBVM SPIEGEL & STABIVM *mathematicum incidi, & productus ab illis ad Caesarem, corona poetica in magno nobilium conuentu donatus sum.* Neque

multo poſt, vt gratum erga PEVTINGERVM animum demonſtraret, dedicauit ipſi *epiſtolam* ſuam, hoc indice: *Vlrichi de Hutten Equ. Germ. ad principes Germaniae, vt bellum Turcis inuehant, Exhortatoria, publico Germaniae Concilio, apud Auguſtam Vindelicorum, anno Domini M. D. XVIII. Maximiliano Auſtrio Imperatore, in officina excuſoria Sigismundi Grimm Medici, & Marci Wyrſung.* excuſam; vbi inter alia haec habentur: *Non memoria excidit, quanta tu nuper diligentia, quantoque ſtudio, redeuntem ex Italia me commendaueris Maximiliano Caeſari. Qui quum tua graui oratione, in conſeſſu ampliſſimorum virorum, de meis ſtudiis, deque illa aerumnoſa per Europam peregrinatione, ſimul de quadam mea feliciter illi pugnata pugna, perſuaſus eſſet, vt me honoraret; quos tu non magnificos titulos, quae non celebria nomina, quas immunitates, quae priuilegia protuliſti? vt ingratiſſimus ſim omnium, qui usquam viuunt, mortalium: niſi te valde amem ac reuerenter colam. Proinde continuo oculis meis obuerſatur, qua me primum hoſpitalitate in domum tuam accepiſti; deinde, qua praedicatione, quibus amicis commendaſti; poſtremo, qua pompa ad Caeſarem adduxiſti; vt ille tuo inſtinctu ad ſe admiſit; vt* Coronam poeticam *impoſuit*: *illam aio* coronam, *illam* lauream, *quam tu ante domi tuae, accurate contexente & adornante filia* CONSTANTIA, *omnium, quae iſtic ſunt, puellarum & forma & moribus praeſtantiſſima, apparaueras*; rel. in alia ad PIRCKHEIMERVM *epiſtola* circa hoc ipſum, quo haec facta ſunt, tempus, anno nempe MDXVIII. VIII. Kal. Nouembr. *Auguſtae* ſcripta, quam luculentis *Commentariis* inluſtratam denuo emiſit Cl. BVRCARDVS, p. 57. haec leguntur: *multum mecum eſt* — CHVNRADVS PEVTINGER, *quocum vetus mihi iam, vt noſti, conſuetudo eſt. Quamquam hunc mihi negotia, quibus obruitur, homo alioqui ſtudioſorum omnium, ac noſtri plurimum generis obſeruantiſſimus, eripiunt ac extrahunt.* Ceterum ipſum *Diploma* HVTTENO a *Caeſare* ſuper hac re datum exhibet idem BVRCARDVS tomo III. p. 57. in quo non obſcura ſimul commendantis PEVTINGERI mentio.

g) Amicis PEVTINGERI LOTTERVS inſuper *Joannem* CVSPINIANVM, *Joannem* AVENTINVM, *Thomam* VENATORIVM; OEFELIVS autem in *Peutingerianis* ſuis, ex quibus multa, in praecedentibus *Notis* allata, mutuatus ſum, *Joannem* STABIVM hiſtoriographum caeſa-

caesareum; *Ottmarum* LVSCINIVM; *Greg.* HALOANDRVM; *Blasium* HOELCELIVM *Maximiliani* Caesar. Consiliarium, de quo videatur Liber: *Complurium eruditorum Vatum Carmina ad. . . Blasium Hölcelium*. 4. *Augustae*, 1518; DVCEM SAXONIAE (Vide *superius C. II. §. III. in Nota f*) cui *Galfredi Monemuthensis de Historia Britannica* Codicem manuscriptum misit, annumerant.

XII.

Has autem amicitias, doctrinae virtutisque studio maxime conciliatas, quemadmodum ad extremum vsque spiritum integras atque illibatas conseruauit *Noster*; ita etiam frequentiori litterarum commercio studiose aluit. Et ecce! Deuenimus ad vltimum *Commentationis* nostrae paragraphum, in quo LOTTERVS missarum a *Nostro* ad amicos, ab amicis ad *Nostrum* Epistolarum *indicem* texendum sibi esse duxit. Ego, etsi sciam (quod & LOTTERVS probe aduertit) eum oppido mancum & imperfectum esse, hoc loco apponere volui nulla mutatione facta; Nolo enim tam vasto negotio, atque accurata harum Epistolarum designatio esset, humeros supponere, ob eam maxime caussam, quod Sisyphi saxum voluere videantur, qui id laboris suscipiunt. *Index* ergo *Epistolarum Lotterianus* sequens est.

MCCCCXCIX. PEVTINGERI ad REVCHLINVM, IV. Kal. Febr. Augusta scripta: *Quae litteris tuis apud Fucaros*, rel. inter *Reuchlinianas*, Hagenoae MDXIX. a *Thoma Anshelmo* 4. editas. *h*)

MDIII. *Eiusdem* ad *eundem*, X. Kal. Maias: *Gaudeo plurimum me tibi*, rel. ibidem.

MDVI. IOAN. FRANC. PICI MIRANDVLANI ad PEVTINGERVM, Mantua XV. Aug. data : *Salue ; dum nonnulla.* rel. inter *Opera* MIRANDVLANI, Argentorati MDVII. a *Ioanne Knobloch*, fol. edita.

MDVII. IOAN. TRITTHEMII Abbatis ad PEVTINGERVM, Herbipoli d. VI. Sept. *Bilibaldus Pirckenheymer communis*, rel. inter *epistolas* TRITTHEMII iunctim editas curante IACOBO SPIGELIO, Hagenoae ex officina *Petri Brubachii* MDXXXVI. 4.

MDXII. PEVTINGERI ad REVCHLINVM, Augusta, prid. Idus Decembr. *Tardiorem me vehementer*, rel. &

REVCHLINI ad hanc responsoria sine die & Consule. *Quod serius quam velim*, rel.inter *Reuchlinianas.*

MDXIII. PEVTINGERI ad RHENANVM, XIII. Kal. Iul. CORTESIO praemissa.

MDXIII. CONRADI MVTIANI ad PEVTINGERVM, Gothae XVI. Kal. Sextil. scripta : *Nisi angusto temporis*, rel. &

PEVTINGERI ad illam *amoebaea*, Augustae VIII. Kal. Sextil. *Epistola tua*, rel. inter *Reuchlinianas.*

MDXIII. PEVTINGERI ad SPALATINVM VIII. Kal. Sextil. *Litteris tuis*, rel. in *manipulo Heckeliano primo*, de quo supra.

MDXV. CHRISTOPH. VELSERI ad PEVTINGERVM, Romae d. XXVII. Ian. *Cardinalem Adrianum*, rel. inter *Reuchlinianas.*

MD.

MDXVIII. VLRICI HVTTENI ad PEVTINGERVM, Moguntia VIII. Kal. Iun. praemissa *epistolae exhortatoriae ad Germanos*, de qua supra.

MDXX. ERASMI ad PEVTINGERVM, Agrippina d. IX. Nou. *Sciebam tibi non esse*, rel. inter *Erasmianas*, *Operum* tom. III. Lugd. Bat. MDCCVI. fol. addimus his vnam

Ineditam PEVTINGERI ad VITVM BILD Monachum *Benedictinum* Augustae, quam in *bibliotheca* illius *Coenobii* adhuc adseruari autor est cel. BERNARDVS PEZIVS in *praefatione* ad tomum I. *Thesauri anecdotorum nouissimi. i*)

Hactenus Epistolarum *index Lotterianus*. Interim iam ipsa PEVTINGERI aetate plurimas *Epistolas* vel tabellariorum negligentia vel alia quacunque de caussa intercidisse, ex frequentioribus tum *ipsius* tum *amicorum* querelis constare obseruauit LOTTERVS; quas tamen conseruari omnino ex re & vsu posteritatis fuisset: tum quia omnigenae doctrinae atque consiliorum plenae fuisse ex reliquarum indicio Auctorisque ingenio existimandae sint: tum quia hoc praesertim nomine etiam commendabiles exstitissent; quod *animi characterem* CONRADI nostri iucunde admodum depingerent. Vtcunque autem sese istud habeat, mihi tam benigna obtigit sors, vt plures *Epistolarum* CONRADI nostri e tenebris angulisque, quibus abditae iacebant, in lucem libertatemque assererem; quas ipsas in subsequentem APPENDICEM reiicere statui, vt hac ratione (praeter plurima, nec spernenda *Additamenta*, quibus LOTTERI *Commentationem* fere

duplo auxi, aliquid esset, vnde huic meae opellae singularis commendatio maiorque Lectorum gratia conciliaretur. Sed vt ad *animi characterem* CONRADI, vnde digressus sum, redeam; habuit hunc ille certe candidissimum, & germanae priscaeque fidei, ac talem; qualem plane vel ipsa liberalior frons, senatorio tamen decore mista, primo intuitu pollicetur: cuius imaginem ex Eius effigie, quae in publica Bibliotheca Augustana ad *S. Annam* visitur, coloribus affabre depicta, æri nunc primum incisam in huius *Commentarii* titulo ad maius Opusculi ornamentum commendationemque poni curauit Bibliopola. Ceterum exacto sic, quod pro virili parte expediundum suscepi, opere calamum pono, hunc potissimum impensi laboris fructum habiturus, si *lectores beneuoli* contingant, qui cum PLINIO *pulcrum* existiment, *non pati illos occidere, quibus aeternitas debeatur.*

h) Hunc verum annum esse, quo data est *Epistola*, docet LOTTERVS *C. I.* §. *VIII. in Notis.*

i) Ego non vnam solam, sed sex *Epistolas Nostri* ad *V.* BILDIVM in *Appendice* exhibeo.



AP-

APPENDIX.


CONRADI PEVTINGERI,

&

CLARORVM VIRORVM EIVS AETATIS


EPISTOLAE ANECDOTAE,

NVMERO LI.





Ineditarum Epiſtolarum, quae hinc illinc in Bibliothecis latitant, maior nobis cura eſſe debet. Quoniam enim diuulgatae non ſunt, multa hic abſcondi ad Hiſtoriam litterariam pertinentia, credibile eſt; praecipue ſi maxime familiares litterae ſint. *Dan. Georg.* MORHOFII *Polyhiſtor*, *Tom. I. L.* I. *c.* 25. *p.* 310.



MONITVM.

Sequentes EPISTOLAS, partem maximam, desumpsi ex *Codice MSS.* Bibliothecae Collegii *Augustani* quondam *Societatis Iesu*: quem si hoc loco fusius descripsero, me & promissum, in ipso Opusculi huius limine (vt probe recordor) factum pro officio exsoluturum: & tibi, Lector! rem oppido gratam praestiturum esse, haud temere credo. Est autem *Codex* iste, chartaceus, duorum pollicum crassitudine, in *folio*, quod aiunt, complectens circiter folia CLXXX. mancus hinc inde, & totis paginis studio refectis mutilus: Extenditur vero ab annoMDVIII.in añum MDXXVII.vsque. Epistolae,in eo contentae (quatuor solas si excipias) vel ab MICHAELE HVMMELBERGIO ad viros eius aetatis doctissimos, vel ab his ad illum, scriptae sunt; quos etiam hoc loco nominare, mea quidem sententia Reipublicae litterariae interest. Sunt ergo sequentes:

Conradus *Adelmannus* ab Adelmansfelden Canonicus Ecclesiae Augustensis. Bruno *Amerbachius*. Iodocus Badius *Ascensius*. Thomas *Anshelmus* Chalcographus Badensis. Petreius

Aper-

Aperbacchus Erphurdianus , Philoſophus & Iureconſultus. Iacobus *Apocellus* Phorcenſis, latine & graece doctus, Notarius Camerae Apoſtolicae. Hieronymus *Aleander* Mottenſis. Ioannes *Baetzius* Vberlingenſis. Iacobus *Bedrottus*, vel *Bederottus* Pludentinus. Henricus *Bebelius.* Ambroſius *Blaurerus.* Thomas *Blaurerus* Conſtantienſis. Ioannes *Botzhemus* I. V. Doctor , Canonicus Conſtantienſis. Wolfgangus *Brantnerus* Caeſareus Conſiliarius & Orator. Ioannes *Braſſicanus.* Ioannes Alexander *Braſſicanus.* Lucas *Conratherus.* Philippus *Dulciarius* Helproneus. Ioachimus *Egellius* Medicus. Philippus *Engentinus.* Iacobus *Faber* Stapulenſis. Ioannes *Faber* Vicarius Conſtantienſis. Ioannes *Frobenius* Chalcographus. Hieronymus *Gebwiler* litterarii ludi Magiſter. Nicolaus *Gerbellius* Phorcenſis. Georgius *Haynus* Medicus. Ioannes *Hercmannus* Monachus Salemi. Conradus *Heresbachius.* Erneſtus *Heſs.* Conradus *Hirtzbachius.* Gabriel *Hummelbergius.* Kilianus *Hummelbergius.* I. *Heroldus* Theologus Norimontanus. Ioannes Sebaſtianus *Hurnhaimerus.* R. D. *Ioannes* N. *Iodocus* Abbas Salemi. Ioannes *Kierherus.* Ioannes *Lanius* Brigantinus. Ioannes *Locherius.* Philippus *Melanchton.* Ioannes *Menlishofer* Medicus. Albertus *Menlishofer* , & Thomas *Pindarus.* Conradus *Peutinger.* Paulus *Phrygio* Seleſtanus. Io-

anneſ

annes *Paetus*. Iacobus *Philomusus* Poeta laureatus. Ioannes *Philo*. Bilibaldus *Pirckhaymerus*. Beatus *Rhenanus*. *V. B. R.* Theologus Tubingensis. Wolfgangus *Reisbergius* Monachus Salemi. Ioannes *Reuchlinus*. Mutianus *Rufus* Iureconsultus. Stephanus *Rosinus* Augustensis. Vrbanus *Regius* Poeta laureatus. Christophorus *Schwarzenbergius* Baro. Christophorus *Sertorius* Theologus. Albertus *Truchses* Francus Orientalis, Canonicus Ecclesiarum Nemetensis & Herbipolensis. Thomas *Truchses* Decanus Spirensis. Ioannes *Sapidus* Selestadiensis. Iacobus *Sturmius*. Theodoricus *Vngelter* Vlmensis I. V. Doctor. Ioannes *Vannius*. Matthias *Vlianus* Medicus. Osvvaldus *Vlianus* Rauenspurgensis. Gaspar *Vrsinus* Slesius, Poeta. Sed de his satis!

Huius eiusdem *Codicis* pagina 53. post Epistolam Graecam, *Beato Rhenano* directam, occurrunt *Oratiunculae ecclesiasticae ad SS. Trinitatem &c.* ab *Michaele Hummelbergio* Graeca lingua redditae: item pagina 176. *Oratio Manassis regis* ab *eodem* latine versa. Sileo alia, minoris commatis, ingenii *Hummelbergici* specimina, hinc inde inspersa. Totum *Codicem* claudit *Epigrammatum Liber II. Michaelis Hummelbergii Rauenspurgensis*, in cuius fine legere est octostichon ad *Beatum Rhenanum e primo Libro Epigramma*-

tum

tum M. H. R. (Lege *Michael. Hummelbergii Rauenspurgensis*) *qui periit.*

Satis quidem ista, pro ratione instituti, dicta videri possunt; verumtamen cum *Michaelis Hummelbergii* memoria *) obscurior, quam fortasse par est, & indignis circumsepta tenebris sit; minime iniucundum tibi fore censeo, Lector! si iam, quae ad ipsam *Michaelis* personam attinent, in saepius laudato *Codice* a me obseruata, subiecero. Minime dubium est, *Michaeli* patriam fuisse *Rauenspurgum*, ciuitatem Sueuiae imperialem. Patrem habuit rei militari vel addictum, vel saltem ab ea, etiam in prouecta aetate, abhorrentem minime; Sic enim anno MDXIII. intra Maias Kalendas ad *Iacobum Fabrum* Stapulensem de illo scribit: *Salutat te Parens meus, homo diuino Numini deuotus, qui tametsi senio conficiatur, eousque tamen se victurum sperat* Θεῦ θέλοντος, *quo cum veris Fidelibus in sanguina-*

*) Diu sollicite quaesivi, quo potissimum anno *Michael Hummelbergius* primam lucem aspexerit? Equidem ex iis, quae *Ioannes Sturmius* in *Vita Beati Rhenani*, praefixa eiusdem *Rhenani Rerum Germanicarum Libb. III.* monet, scribens (*Inter condiscipulos Lutetiae cum* aetate parem, *tum industria & doctrina aequalem habuit* (Rhenanus) *Michaelem Hummelbergium, quo plurimum in commentationibus studiorum, & eorum, quae audierant, usus est.*) satis compertum habui, id circa annum MCCCCLXXXV. factum fuisse; cum hoc anno *B. Rhenanus* in dias

guinarios Christi hostes felicia arma sumpturus sit, & secundario benedictum Domini sepulchrum visurus; Vtinam bona spe non destituatur. Fratrem germanum sortitus est *Gabrielem*, Medicum illorum temporum nequaquam incelebrem, qui nominis sui memoriam pluribus libris editis consecrauit; de quo, si lubet, *Pantaleonis Prosopographiam*, & *Kestneri Lexicon medicum*, ac *Bibliothecam medicam* consulere poteris. *Michael*, cum adoleuisset, studiorum caussa, & ingenii magis magisque expoliendi gratia *Lutetiam Parisiorum* profectus,

dias luminis auras natus fuerit, cui *aetate par* fuisse *Michael Hummelbergius* a *Sturmio* superius asseritur. Sic coniecturis animum torquenti in manus veniunt, *Ioann. Heumanni*, Iuris in Academia *Altorfina* Professoris, *Documenta litteraria.* 8o. omnemque subito dubitationem eximunt, exhibendo *Epitaphium* Nostro, a fratre germano *Gabriele Hummelbergio* positum; ex quo conficitur, *Michaelem Hummelbergium* anno MCCCCLXXXVII. natum, postquam annos XL, dies aliquot vixisset, naturae debitum anno MDXXVII. XIX. Maii, moriendo exsoluisse: fuisse de caetero *humani & diuini iuris consultissimum, Graecae & Latinae linguae doctissimum, sacerdotii conspicuum dignitate, Doctis & Musis amicum.* Praeter laudatum *Epitaphium* habes, Lector! in iisdem *Documentis litterariis. p.* 93. duas *Epistolas Michaelis* nostri ad *Bilibaldum Pirckheimerum*, quas (si lubet) consulere poteris.

Vt de indole *Nostri* pauca afferam; is ab *Erasmo Roterodamo* in Epistola ad *Conrad Heresbachium.* 1522. 18. *Oct.* homo moribus mire candidis appellatur: & in Epistola ad *Marc. Laurinum* 1523. 1. *Febr.* a pudore, modestia, doctrina ac morum suauitate insigniter commendatur.

fectus, ibi annis 1508. 1509. 1510. & 1511. egit, *Iacobo Fabro* Stapulenſi, & *Iodoco Chlichtoueo* in Philoſophia, nec non in Graeca lingua *Hieronymo Aleandro* Mottenſi, praeceptoribus vtens. Litterariis laboribus *Pariſiis* defunctus, anno 1511. dimidia ſui parte exacta, in finem paulatim vergente, patrios lares repetiit. Circa iſtud tempus, vt ſe Deo magis magisque deuoueret, ſacerdotium iniuiſſe videtur. Certe ſacerdotii eius perſpicua extant argumenta. Ita in Epiſtola ad *Iacobum Fabrum* Stapulenſem ſuperius citata, dataque anno 1513. ſic ſe exprimit: *Nolim enim in duriuſculam petram, aut in ſpinoſum agellum cecidiſſe, quod in me cecidit eruditionis inſtitutionisque tuae ſemen; ſed potius in agrum, & illum non triſtem & ſterilem, verum graui Cerere laetum & fertilem, quem indies magis ac magis excolere iuuat, vt Deo O. M. vni & trino optimam atque maximam frugem ferat in ſuauitatem odoris: frugem autem hanc ſacroſanctae & ſuperbenedictae hoſtiae, Corporis D. N. Ieſu Chriſti... ſacrificium velim intelligas, quod aliquando* οὐκ εἰς μακρὰν *Deo auxiliatore... utinam digne offeram...* Et in Epiſtola ad *Hieronymum Aleandrum* 1519. Nonis Aprilis data ait: *Humaniſſime ſemper mecum agis, qui... me humilem Chriſti ſacerdotem... amare nunquam non pergis...* Similiter in *Epitaphio*, quod hortante *Thoma Truchſeſſio*, Decano Spirenſis Eccleſiae,

Ioan-

Ioanni Kierhero Seleſtadienſi, philoſopho, poëtae, & oratori anno 1520. ſcripſit, eundem *Conſacerdotem* vocat. Themidi quoque & iuris ſcientiae deditum fuiſſe *Michaelem*, ea comprobant, quae ad *V. B. R. Theologum Tubingenſem* anno 1512. Nonis Octobris ex *Rauenſpurgo* ille ſcripſit: *Haud aequis telis contendere videris, Vir bone! qui, perpetuis concertationibus in omni theologia exercitatiſſimus miles, theologica cum Iureconſulto, emerito milite, armis & litterariis pugnis hoſpitium renunciante ... confers ... ſed tamen ne prorſus haſtam abiicere, & arena cedere videar, velim & mihi licere, hanc qualemcunque pharetram meam excutere &c. &c.* Imo in Epiſtola ad *Chuonrad. Peutingerum*, 1513. IV. Id. April. ad *calcem huius Operis* annexa, ſe diu antea *Iuris pontificii* ſtudio totum deuouiſſe, innuit. Anno 1514. *Michael* iter, quod diu ſecum voluebat animo, in *Italiam*, ac *Romam* aggreſſus eſt, a *Conrado Peutingero* commendatitiis ad *Chriſtophorum Vuelſerum*, Sororium *Peutingeri*, inſtructus: In ea vrbe commorans *Ioanni Reuchlino* in famoſa cum Doctoribus Colonienſibus lite ſedulam opem impendiſſe videtur. Argumento ſunt Epiſtolae in *Appendice* N. XX. XXI. XXII. afferendae, quibus *Reuchlini* cauſſam STEPHANO ROSINO, *Caeſar. Maieſtatis in Vrbe Sollicitatori* (vt ait) verbis ſignificantiſſimis commendat, hinc in Catalogo

Patronorum *Io. Reuchlini* **) inter complures eruditissimos Germaniae Viros merito locum consecutus. Romae *Hummelbergius* ad annum 1517. substitit, quo in Germaniam reuersus in patria vrbe resedit. Quid ex illo tempore gesserit, mihi incompertum; nisi quod commercium litterarium cum amicis & doctis viris caeptum probe fouerit, vsque in annum 1527. quo ipso Kalendis Aprilis ad *Ioannem Botzhemum Abstemium* litteras dedit.

Reliqua vitae *Michaelis Hummelbergii* cum me lateant, iis, Lector! contentus sis rogo, quae hactenus attuli. Ceterum *Nostrum* paulo post illas, 1527. ad *Botzhemum* datas, litteras diem supremum obiisse, ex *superius* dictis constat.


Finieram hoc *Monitum*, cum RRdornm Liberi & Imperialis Monasterii ad SS. Vdalricum & Afram *Augustae Vindel.* Caenobitarum singulari beneuolentia & miro gratificandi studio (quod me iam saepius expertum esse, non sine debita grati animi testificatione fateri omnino debeo) mihi humanissime communicata fuere tria MSSta Volumina P. *Viti Biid* memorati Asceterii quondam Alumni perdocti a V. Cl. *Bernardo Pezio* (Vide *Eiusdem Dissertationem isagogicam ad Tomum I. Thesauri Anecdotorum nouissimi*, pag. *XXXII.*)

** Praefigitur is *Io. Reuchlini Epist. Hagenoae.* 1519.

XXXII.) diu ante me iure meritiſſimo collaudati. Ea re factum eſt, Lector beneuole! vt non ſolum vnam Epiſtolam CONRADI noſtri, quam *Ioann. Georg. Lotterus* editam olim optauit; ſed adeo ſex Epiſtolia *Eiusdem*, ad praedictum *Vitum Bildium* data, exhibere tibi valeam. Has *Noſtri* Epiſtolas excipiunt aliae quatuor *Epiſtolae* anecdotae, nouiter a me inuentae, quas vnde deſumpſerim, in fronte earundem indico. Non improbabis, puto, conſilium meum; cum quaecunque a Viris eruditis profecta ſunt, etiam minutiſſima, ſollicita diligentia inquirere colligereque debeamus. Vale.

FRANCISCVS ANTONIVS
VEITH.





I.

Chuonradus Peutinger, Augustanus *Michaeli Hummelbergio Rauenspurgensi* *S. P. D.*

Quod vehementer me ames, omnes tuae literae, quae hactenus mihi sunt redditae, significant, facileque ex his, & eruditionem tuam, & humanitatem, & officium tam dulce mihi, quam optatum cognoui; & quanto haec a te gratiora proficiscuntur, tanta maiori ego tibi obligatione distringor, potissimum scilicet: quod hactenus ad te nullas perscripserim litteras, quare, et si tibi mecum ingratitudinis causa pertractanda foret, cum eam, quam aliquando referre potuissem, nec retuli gratiam, silentium hoc nostrum, vtcunque si longius fuit, occupationibus nostris: & publicis & priuatis, vel etiam necessitati ipsi (cui nec repugnandum est) imputato. Habebis a me postea literas crebriores. Libellum, quem Imp. Caes. *Maximiliano* Aug. dicauerim, petis. Dedi plures, vnum ex *Rom. Vetustatis fragmentis*, excusum formis (non magni ponderis) transmitto. *Collectanea* vero *Coniugis nostrae*, quae diligentia & manu sua, auxilioque nostro, ad venerandum Praepositum Ratisponensem fratrem suum dedit, ab exemplo nostro satis mundo perspicere poteris. Et cum haec nondum emiserimus: velim pro tua singulari eruditione, nisi a te recognita, castigata, exornata etiam, vel (si collibuerit) expuncta,

puncta, ad nos redeant. Acceleratione tabellarii de communi nostro amico, *Bebelio*, ac etiam *Brenno* hactenus scribere potui nihil. Deus Optimus Maximus velit, vt te vel praesentem videam. Bene valeas. Ex Avgusta IV. Kls. Aprilis Anno Salutis MDXII. Epistolam hanc me dicente nostra vxor amanuensis loco scripsit. Iterum vale.

II.

Michael Hummelbergius Rauenspurgensis Chuonrado Peutinger I. V. Doctori S. S.

Margaritae Vuelseriae, coniugis tuae & castissimae & doctissimae, *de Vetustatis monumentis* Epitomen hilariter accepi. Vir clarissime! Eius frequenti lectione meum multum oblectaui animum. Libellus etenim elegans, & concinnus, nihil inepte, nihil inculte, nihil inerudite, sed omnia affabre, eleganter, & Latiali eloquio venuste & copiose praescribens: multiiugae lectionis & penitioris cuiuspiam eruditionis, a nullo ullo non legendus, non suspiciendus est. Eo maxime, quod a cognobili foeminz, ϗὶ ἀθηνᾷ τῇ ἀθάνατῳ παρθένῳ, Ερμῃ τε τῷ των ῥητόρων νομῳ, καὶ ταῖσ μȣσαισ Διὸσ μεγαλοιο θυγατράσιν, Minerua, Mercurio & Musis fauentibus conscriptus est. Nihil, me Hercule! rarius, miriusue, quam foeminam ad lanam, pensa, fusum, vestes, mollesque tuniculas, & texendi artem natam eruditione atque facundia viris vel doctissimis dubia pugna congredi, & palmam sibi praeripere conari. Rarum & infrequens in terra Sue-

 uia,

uia, latiniſſime ſcribere faeminam, & pro lana librum, pro fuſo calamum, ſtilum pro acu tractare (quod *Politianus*, Romanae gloſſae deliciae, de *Caſſandra* Veneta puella ſcribit) non cutem ceruſſa, ſed atramento papyrum linire; quod non magis uſitatum, nec minus rarum aut nouum, quam ſi de glacie media naſcantur violae, ſi de niuibus roſae, ſi de pruinis lilia. Quum autem vetuſta & longe hinc diſſita ſaecula ſuas Muſas *Clio*, *Euterpen*, *Thaliam*, *Melpomenen*, *Terpſicoren*, *Erato*, *Polymneiam*, *Vraniam*, *Calliopen*: praeterea *Sybillas* ſuas, Perſicam, Lybicam, Delphicam, Cimmeriam, Erythraeam, Samiam, Cumaeam, Helleſponticam', Phrygiam, Albumeam: & item Poëtrias, *Sappho*, *Teleſillam*, *Corinnam*, *Semproniam*, *Anyten*, *Erinnen*, *Praxillam*, *Sulpiciam*, *Cleobulinam* ſuſpiciunt & venerantur; iure optimo & noſtram *Margaritam* miramur, & eo magis ſtupemus, quo ſub Ioue pigro & frigido, circa Vindae Lycique fluenta nata, mnlta vigilia & lucubratione, improbo labore & ſtudio ingenium alioqui imbecille & fractum (quale huic hominum generi natura comparatum eſt) optimis & quidem muſicis litteris cultius & amoenius reddidit: illis, quibus ſpirant clementius Auſtri, ſuapte natura, & ex caeli temperie ingenii acumine praeſtantibus. Certe *Margarita* illa noſtra vere margarita, & nobilis vnio eſt, quae ne *Baeoticae* ſui (vt dicitur) & craſſo duroque ingenio viro deſponderetur, te ingenio florentem, iuriſprudentia inſignem, & omnimoda eruditione clarum, conſortem & coniugem diuino munere aſſecuta eſt. Vtinam *Tithono* ſernet viuaciorem! Sed de his ſatis ſuperque. Re.

cogni-

cognitionem & caſtigationem abs te mihi demandatam prorſus abnego; Tui hoc muneris eſt!, tuae ſunt partes, quas mihi non ſumam; quum huic rei inſolens ſum, & tantum crepidam (vt *Appelleus* ſutor) poſſum cenſere. Quidquod omnia ita ad vnguem & amuſſim ſunt leuigata, vt ne *Momus* ille Aeſopaeus carpere, & carbone notare queat. ούτω καλῶσ ἀκὀει ὑπ' ἐμῦ ἡ γυνὴ σῦ. Muneri tibi mitto *C. B.* *) librum philoſophicum, & ſane mirandum, ex intimiore philoſophiae penuario depromptum, quem ſingularis mihi erga te amoris pignus depoſuerim. Inuenies eo in libro non nihil de *Iulio* pont. max. licet ſubticeatur eius nomen. Item de Abbate *Trithemio* Spanhemenſi Mago... Tuae coniugi dic ſalutem meis verbis. Aduentum meum breui expecta. Tibi viro humaniſſimo, & de me optime merito nihil negare poſſum, nihil debeo. Videbis hominem, non qualem forſan putas diſertum & eloquentem; ſed Pythagoriſtam & ſilentiarium, audiendi magis quam loquendi cupidum, qui parcam linguam theſauri non minimi loco habet iuxta hoc *Heſiodicum*: λώσσησ τὸι Θησαυρὸσ ἐν ἀνθρώποισιν ἄριςοσ φειδωλῆσ. Bene valeas, & me, vt facis, mutua charitate ama. Rauenſpurgi. Eidibus April. MDXII.

*) *Haud dubium eſt, legendum eſſe*: Caroli Bouilli: *Vide mox ſequentem Reſponſoriam Chuonradi Peutingeri.*

III.

Chuonradus Peutinger Auguſtanus I. V. Doctor & Caeſ. a Conſilio
Michaeli Hummelbergio Rauenſpurgenſi
S. S.

Contracta illa inter nos ſocietas familiaritatem hanc amicitiarum arctiſſimam coniun-

 xit,

xit, vt, quid tibi viro eruditiſſimo in amore reſpondeam, non ſatis ſcio. Laudas, ſuperque laudas coniugem noſtram, *Opus* etiam eius, quod recognitum & caſtigatum volebam ad nos remitteres. Verum litteris tuis ea tribuis, quae nec agnoſcimus, nec fatemur: tua tamen conlaudatio non quia verior, ſed quod amicior maiorisque dilectionis, grata eſt; quam &, cum nobis debebas nihil, ex humanitate & tua in nos beneuolentia gratis dediſti. Quare cum plane noſtram omnem facultatem tuis erga nos meritis imparem eſſe perſpicimus, tibi non ſolum non agere, verum etiam nec gratias commode referre poſſumus. Sed blandimentis, aſſentationibus, quae beneuolentiae popularis oſtentamenta ſunt, abiectis procul, ego tibi officio meo nunquam deero. Epiſcopus *Pataujenſis* diebus proximis ad me ſcripſit, vt ab hac ſchedula manus eius cognoſcere poteris; Ego & qui plures Dig: ſuae commendare potuiſſem, tu ſolus, neſcio, quo fato ſed, vt ſpero, optimo in animum decideras. Quare, etſi ſtatum tuum hactenus ignoraui, Principi huic commendavi, & me de eo, quod peteret, te velle certiorem reddere, & quid reſcriberes, D. ſuae ſignificare aſtrinxi. Quare aduentum tuum ad nos, vt ſcribis, accelera, vel, quid inſtitueris, reſcribe. Officium *Cancellariae* ipſius honeſtum: Princeps bonus, ſenex tamen: aditus ad beneficia eccleſiaſtica Eruditis apud eum facilis eſt. Librum tuum philoſophicum, profecto admirandum, habui; gratias tibi ago. *Bouilli* illius, Viri vtcunque eruditiſſimi, nomen hactenus non audiuimus: Epiſtolam eius mox, quam ad *Nicolaum* HORRIVM de viſione *Nicolai*

Alpi-

Alpini eremitae dedit, legimus; quid ſit, cogitare potui. Ego tibi pro munere iſto *a*) vices aliquando reddam. Coniunx noſtra te denuo ſaluum optat. Vellem, vt rogaui, *Collectaneis* noſtris aculeos alios, qui ad ſcribendum ſtimulos ſubdunt, admouiſſes. Sed de his praeſens coramque loquar. Vale. Vel reſcribe, vel vti volueris, ad nos venias. Ex Auguſta VI. Kls. Maji. Anno Salutis M. D. XII.

a) Annotauit OEFELIVS in *Peutingerianis* ſuis, ad finem Opuſculorum *Caroli Bouilli* haec adſcripta eſſe: *D. Conrado Peutingero Auguſt. ICto Michael Hummelbergius Rauenſpurgenſis dono miſit.* 1512.

I V.

Michael Hummelbergius Rauenſpurgenſis Chuonrado Peutingero Auguſtano I. V. Doctori, Mecoenati ſuo Salutem D.

Epiſtolam illam *Capnionis*, Pauli Tarſenſis Cilicis coniugii adſertricem, quam nuper *Auguſtae* commodato dederas, inpraeſentia ad te remitto. Ea enim conditione abs te accepi, vt quam primum ad te rediret. Legi illam, atque iterum legi; nam praeter elegantiam, eruditionem etiam habet penitiorem. Pauli coniugium cum ex Origene, tum ex ipſomet Paulo adſerit, & per ea, quae ab antiquiſſimis & ſacroſanctis Theologis notata ſunt, comprobat. Ipſe vero, praeter a *Capnione* notata, etiam aliud ſacratiſſimi Pauli ſcriptum, quo ſe coniugatum indicat, adduco: vbi propriam vxorem ſe ſcribit potuiſſe quidem peregre ſecum ducere, noluiſſe tamen: ob Euangelii ſcilicet gloriam; ne fide adhuc infirmis,

quibus continentiam praedicabat, offendiculo esset. *Prima* enim ad *Corinthios* IX. inquit: *Nunquid non habemus potestatem vxorem circum ducendi, sicut & caeteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas*? Petro siquidem (qui & Cephas appellatur) legitima coniunx semper adhaerens per omnes Syriae (quae in sinu Issico est, vt *Mela* & *Plinius*) vrbes, balaneas, Palto, Gabalam, & Laodiceam, coniugem secuta est; *Matidia* etiam matre *Clementis* (quem Petrus in Episcopum ordinauit, & cui praedicationis & doctrinae suae cathedram credidit, & sibi a Domino datam potestatem ligandi ac soluendi tradidit) concomitante. Sed oblatrabunt Theologi illi nostri, nihil vltra latinitatem progressi, Paulum non de *vxore* hoc loco scripsisse, sed *muliere sorore*, id est, pudica & casta matrona, quae sororis habetur loco. Ita illi mulierem sororem interpretantur; in quo vel maxime hallucinantur: si enim graecam linguam consulerent, qua & Apostolus elegantissime scripsit, non *mulierem sororem*, sed *vxorem* legerent. Graece enim γυναῖκα scripsit Paulus, id est *vxorem*. Licet non ignorem, apud Graecos aliquando pro muliere, quae etiam virum non habeat, legi: hoc tamen loco apud Paulum, legitimam & iuxta legis ritum ductam, vxorem designare haud temere dixerim. Quid enim de alienae mulieris abstinentia gloriari oportuisset? quid quod sequitur, sicut & Cephas? nonne hoc, legitimam fuisse Paulo coniugem, indicat? cum Petro in coniugali statu similem se faciat. Porro interpres non *vxorem*, quod graece est γυναῖκα; sed *mulierem sororem* transtulit: hac putarim ratio-

tio-

tione ; quod Apoſtolis ſuſcepto iam Euangelio vxores ſuas tanquam non vxores, ſed ſorores, quibuscum pure, caſte, & continentiſſime citra omnem ſuſpicionis notam verſamus ac viuimus, fuiſſe exiſtimauerit. Paulus itaque non libidinis & incontinentiae, ſed filiorum amore ductus poſteritatisque reparandae & legis obſeruandae cauſa (quae ſterilitatem ſexus vtriusque maximo opprobrio damnabat) legitimam habuit vxorem. Quare valeat & ἐσ κόρακας abeat fraterculus ille W. literarum literatorumque oſor infelix, qui tibi olim, quod deiferi *Ignatii* de S. Pauli coniugio ſententiam *conuiualibus* tuis *ſermonibus* inſerueras, pro concione publicitus obtrectare non erubuit. Nec de te triumphum egisſe putet, quod illius maledicentiae & iniuriae iuſta apologia & defenſorio libello (vt nonnulli inhortabantur) non reſponderis. Nam aliis armis (ſcio quibus) virulentas vires ſuppreſſiſti, & adeo homuncionem μισάνθρωπον contudiſti, vt ne hiſcere quidem poſſit amplius.

MARGARITAE *Vuelſeriae* Auguſtanae, coniugi tuae cariſſimæ, optimae indolis prole fecundiſſimae, erga te diligentiſſimae, foeminæ honeſtiſſimae, doctiſſimaeque dic ſalutem. Item *Conſtantiae*, *Catharinae*, *Felicitati*, *Claudio Pio*, *Chriſtophoro* filiis dulciſſ. bene opto. *)

Vale Rauenſpurgi Sueuorum. M. D. XII. Kls. Iunias.

*) Quid de hac *Hummelbergii*, & ſequenti *Reuchlini* Epiſtolis ſentiendum ſit, ſuperius *Cap. II. §. VI. in Notis* monui; quem locum conſulere libeat.

V.

Exemplum Epistolae, cuius in proxima mentio habita est ab initio.

V.

Ioannes Reuchlin Phorcensis LL. Doctor Chuonrado Peutingero, Augustano, I. V. Doct. S. P. D.

Iniuriis a quodam Monacho affectum te suspicaris, & id tecum caeteri quoque putant. Ego vero huiuscemodi contumeliis tunc haud intersui. De Paulo Cilice non te insimulem male scripsisse, quamuis tua hucusque ne penderim quidem ad trutinam. Sed tam humana de te mea est opinio, vt te credam nihil vnquam conscribere posse, quod limen exigat. Nec te mendacem recte quis appellauerit mea sententia, qui non tua, sed maiorum dicta recitas, praesertim in re non solum tam minutula & nihil ad fidei articulos conferente: verum etiam quae post tot & tantorum virorum, Ecclesiae primitiuae luminum, dispares opiniones hactenus in neutram partem Catholica sit constitutione decisa: vbi nemo priscorum tam vecors fuit vnquam, nemo tam impudens, qui alium, ob similiter sentientem in ea causa, mendacem diceret. Scripserunt fontanae puritati propiores viri, Paulum Tarsensem vxorem habuisse, sed Euangelio suscepto de vtriusque consensu continentiae dedisse operam. Astipulatur *Ignatius*: Confitetur *Eusebius*, quos tu enumeras. Ego, si vis, addam *Origenem* Magistrum Theologorum, & Doctorem irrefragabilem, vno *Periarchon a*) dempto, qui liber ei per calumniam famose imponitur. Ait autem epistolam Pauli ad Romanos explicans, *Rufino* interprete, hoc modo: *Paulus ergo, sicut quidam tradunt, cum vxore vocatus est; de qua dicit ad Philippenses scribens; Rogo etiam*

te

te, germana compar, *adiuua illas.* Quae verba, si graece legantur, vt sunt ab Apostolo scripta. nullos iniiciunt scrupulos. Sic enim ad *Philippenses* capite *quarto* graece scripsit. Εὐοδίαν παρακαλῶ, καὶ Συντύχην παρακαλῶ τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν Κυρίῳ. Και ἐρωτῶ καὶ σὲ, σύζυγε γνήσιε, συλλαμβάνου αυταῖς, αἵτινες ἐν τῷ εὐαγγελίῳ συνήθλησάν μοι. id est: *Euodiam adhortor, & Syntichen adhortor, idem sentire in Domino. Certe rogo etiam te, coniunx legitima, comprehendaris eisdem*; quasi dicat: *connumereris eisdem*, *quae in Euangelio collaborauerunt mihi*, hoc est, in earum sanctarum mulierum societate & amicitia inueniaris, quarum nomina sunt in libro vitae. Hanc linguae proprietatem Graeci melius norunt, quam Latini: quare dixerunt, Paulum habuisse vxorem, imo & caeteros Apostolos. Cui non valde repugnat *Hieronymus* contra *Iouinianum* ita scribens: *vt ei ex superfluo interim concedam*: *habuerunt quidem vxores, sed quas eo tempore acceperant, quo Euangelium nesciebant: qui assumpti postea in Apostolatum reliquerunt officium coniugale*: Ex quibus *Hieronymi* verbis illud Apostoli scriptum lucidius intelligo *prima* ad *Corinthios* VIIo. *Volo autem omnes homines esse, vt me ipsum.* Nam continuo ante dixit, *ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* Voluit ergo omnes post Euangelium esse continentes, licet ante Euangelium habuerunt vxores; sicut & ipse post Euangelium susceptum conthorali coitu abstinebat. Quare sequitur: *Dico autem non-nuptis & uiduis, bonum est illis, si sic permanserint, sicut & ego.* Pro non-nuptis dixit ἀγάμοις, id est, innuptis; quo vocabulo Apostolus non prorsus pro non-nuptis illis, qui nulla unquam contraxerunt coniugia, vsus est:

sed

ſed potius pro relinquentibus officium coniugale; quamuis ſtatu matrimoniali comprehendantur; quod ex ſequentibus verbis licet intelligere, cum ait: *His autem, qui matrimonio iuncti ſunt, praecipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam*, graece ſic, μενέτω ἄγαμος: id eſt, *maneat innupta*; quoniam igitur hoc verbum, ἄγαμος nuptias non negat, ſed caſtitatem aſtruit matrimonialem, & coitu priuat, quaero abs te, quo poſſit argumento quisquam vrgeri, vt credat, Apoſtolum Paulum nunquam fuiſſe coniugatum? Nam, qui ſe innuptis & viduis ſimilem dixit, nondum ſe virginibus coaequauit. Eo magis quod, vt contra *Iouinianum* ſcribit *Hieronymus*, *apud Iudaeos gloria erat & in partubus & in parturitionibus; & maledicta ſterilis, quae non habebat ſemen in Iſrael.* Quum igitur Paulus ante coruſcationem Euangelii Vir erat, vt ex verbis *Ananiae* cognoſcimus *Actuum IX. Audiui a multis de Viro hoc, quanta mala fecerit ſanctis tuis*: & viro erat ignominioſum ſterilitatem coelibatu fouere, *Ieremiae XXII. Haec dicit Dominus: ſcribe virum iſtum ſterilem, virum qui in diebus ſuis non proſperabitur*: & inter benedictiones *Deuteronomii* ſcriptum eſt: *Non erit apud te ſterilis vtriusque ſexus*; recte conſequitur, neminem ſancto Paulo, qui ſub nomine *Saul* in lege praeceſſit Euangelium, his verbis detrahere, quod dicat ipſum fuiſſe coniugatum. Quilibet igitur in ſenſu ſuo abundet. Alius quidem ſic, alius autem aliter. Non tamen alter alteri ſtruat iniurias, nec mendacia innocenti cuiquam impingat. Si quis eſt, qui hac in re cum *Ambroſio* ſentiat (ſcribit enim idem ſuper Epiſtolam ad *Corinthios*

his

his verbis ; *Non diceret Apostolus :* Bonum est innuptis, vt sint sicut ego, *nisi esset integer corpore. Nec diceret :* omnes homines volo esse sicut me ipsum, *si habuisset vxorem.*) si quis inquam *Ambrosii* partes fouet, is velim autores tuos non contemnat, sicut nec ipse ab aliis contemnitur, licet diuersa scribentibus. Quamuis enim dicat idem *Ambrosius* in 2. *ad Corinthios Epistola*, quod omnes Apostoli, excepto *Ioanne* & *Paulo*, vxores habuerunt; tamen *Hieronymus* contra *Iouinianum C.* XIV. si recte memini, scribit, qvod *Ioannes* fuerit Apostolus maritus & virgo. Maritum vocat hic, non mentitur : sine vxore asserit ille, non mentitur. Quippe ambo stellae fidei lucentes in perpetuas aeternitates. Ita qui Paulum vxorem habuisse dicit, non mentitur ; & qui dicit, non habuisse, non mentitur. Sicut futurorum contingentium altera contradictoriarum est vera, & altera falsa, sed neuter alteram mentitur. Ita est de praeteritis incertis, quae nondum sancta probauit Ecclesia. Vale feliciter, & bene valeat vxor tua mihi tanquam soror dilecta, inter foeminas clarissima, honestissima, pudicissima.

a.) Intellige περι Αρχῶν.

V I.

Michael Hummelbergius Rauenspurgensis, Chuonrado Peutingero, Augustano, suo salutem.

Graecorum nomismatum stelographiam exscripsi, verbotimque interpretatus sum, vir praecellentissime! non quidem minus impigre, quam libenter; quod tibi, omnium charissimo, nusquam

quam non placere ſtudeam. Amóris etiam erga me tui notam puto, quod ea mihi credis, quae in theſauro habes precioſiſſima; licet parui exiſtimentur, quae æerea ſolum ſunt: amor tamen & affectus (vt *Ambroſii* vtar verbis) rebus pretium imponit. Sunt autem nomiſmata nonnulla ita exoletis & attritis characteribus, vt non adeo oculatus ſim, qui ex his quidpiam habere queam. Quid enim edax vetuſtas non tabefacit? quae vt *Sophocles* ait, *omnia exurit*, *πάνθ' ὁ μέγας χρόνος μαραίνει τε, καὶ φλέγει* Vnum etiam prorſus latinum eſt, quod *Valentia* inſcribitur. Caetera partim graecas, partim graecas & latinas inſcriptiones habent; quod ſeriatim (vt iam ſubnectam) videre eſt. Imp. *Philippi* duo ſunt. Primum hanc habet ſtelographiam Α Κ Μ ΙΟΥ ΦΙΛΙΠΠΟCΙ ΕΥCΕΒ. hoc minuſculis litteris plenius ſcribitur: *ἀυτοκράτωρ κᾶισαρ Μαρκὸσ ιoύλιοσ φίλιπποσ ἐυσεβὴσ*; id latine eſt: *Imp. Caeſ. M. Iul. Philippus Pius*, ſeu *Religioſus*, &, ſi mauis, *Auguſtus*, vt in Romanis & Latinis Caeſ. nomiſmatis eſt. Quod enim *religioſum* eſt, *Tranquillo* teſte & *auguſtum* eſt, ſacrumque & maieſtatis atque venerationis plenum. Quod nomen tanquam omnibus ſanctius & reuerentius *Octauianus* Diui Iulii F. omnium primus adſumpſit, ſpreto repudiatoque *Romuli Quirini* cognomine: quod hunc in imperio condendo & ſtabiliendo praeualuiſſe exiſtimaretur. Reliqui etiamnum Impp. Caeſs. omnes diutina vſurpatione hoc ſibi cognomen vindicarunt. Habet nomiſma hoc altera ab parte literas Romanas duas L. A. quid velint, noſti; veterum enim, latinorum praeſertim, monumentorum, quorum diligentiſſimus inquiſitor es, iuxta & doctiſſimus, nihil te latere puto. Alte-

rum

rum eiusdem Imp. nomiſma ſic habet: ΑΥΤΟΚ Κ Μ ΙΟΥΛΙ ΦΙΛΙΠΠΟC CΕΒ. hoc idem, quod primi inſcriptio, ſonat. Tametſi poſtrema dictio CΕΒ. id eſt σέβαςος, a primi vltima ſcriptura diſſonet, ſignificatu tamen diſcriminis vel nihil vel parum habet, & latine etiam *Auguſtus* interpretatur. Vtitur dictione Graeculus ad *Octauium* Caeſ. apud *Macrobium Sat. Lib.* 2. Ab altera vero parte hoc habet ΔΗΜΑΡΧ ΕΞΟΥCΙΑC ΥΠΑΤ ΟΓ.. ΑΝΤΙΟΧΙΑ, quod literis minuſculis perfectius ſcribitur δημαρχικῆς ἐξουσίας ὕπατος ογ.. ἀντιοχία. latine: *Tribunitiae poteſtatis Coſ. VIII. Antiochia.* δημαρχικὴ enim *popularis principatus* eſt, pro plebis commodis excubans, inque imperiis compeſcendis (vt *Val. Max.* ait) occupatus, qui ex plebeio corpore & ordine creabatur: & quia apud Romanos antiquitus a tribuum ſuffragio fiebat, *tribunitia poteſtas* appellitabatur. Item *GORDIANI*: Α Κ Μ ΑΝ ΓΟΡΔΙΑΝΟC ... ΕΥCΕΒ. Λ. Α. quod literis omnibus ſcribitur, quemadmodum primum *Philippi*; hoc eſt: *Imp. Caeſ. M. An. Gordianus Aug. L. A.* Item *Voluſiani* ... ΟΥΟΛΟΥCCΙΑΝΟC ΔΗΜΑΡΧ ΕΞΟΥCΙΑC. latine *Voluſſianus Tr. P.*.. Scribitur autem *Voluſſianus* per *SS.* duplex, non ſimplex, vt latina nomiſmata habent: Item *Antonini*, ΑΥΤΟΚ... ΑΝΤΩΝΙΝΟC ΔΗΜΑΡΧ ΕΞΟΥCΙΑS; quod iam ex aliis interpretaberis. Sed aliud hic latet arcanum, quod ſub alio aquila gerit, vtpote *SS.* duo, alterum latinum, graecum alterum; ſic *SC.* niſi, quod graecum dixi, C latinum contendas, vt ſit *Senatus-Conſulto.* Item *Saloninae Gallieni* Imp. Coniugis: ΚΟΡΝΗΛΙΑ CΑΛΩΝΕΙΝΑ GALL. Hoc eſt: *Cornelia Salonina Gallienus.* Haec ſunt, quae tuis ex nummis habui, licet non omnibus, vtpote literis omnino

nino rubigine exesis, & impendio obliteratis, & quae vel oculatissimum *Argum* fugiant. Tu, vir cariss. viue, vale. Siquid nouisti rectius istis, candidus imperti; si non, his vtere mecum. Rauenspurgi VI. idus Octobris Anno Salutis M. D. XII.

VII.

Michael Hummelbergius Rauenspurgensis Chuonrado Peutinger Augustano S. S.

Antiquissimi saeculi hactenus obseruatus mos est, vir praestantissime, quo Kls. Ianuariis strenulas, ineuntis anni felicissimi omina, carissimis mittimus, maximeque his, quos in tutelares Deos (vt ita dicam) & Patronos adsumimus, quosque optimos probatissimosque consilio, authoritate & prudentia praecellere spectamus. Qua de re quum diutile animo & tacito in sinu (vt paroemia est) reuoluerem, quidnam ad te virum moribus literisque ornatissimum, & amicum fidissimum atque optimum potissimum mitterem: tandem praeter *Cadmi nigellas filias*, *Melonis albam paginam*, *notasque furuae sepiae*, *Cnidiosque nodos* (quod iuxta ingeniosi *Ausonii* iambum dixerim) occurrit nihil. Qui autem nihil aliud habet, id quod habet, mittat necessum est. Id autem muneris obseruatio quaedam est, quam in tuis scriptis nuper animaduerti: Scribis in tuo *Symposiacon & conuiualium sermonum* libello *Constantienses*, antiquitus *Nantuates* appellatos *Diui Iulii* interpretem *Marlianum* reor, secutus, qui (ni fallor; quod nolim) pulcre te in hoc fefellit. Ego enim *Nantuates* ipsos *Valle-*

lesi-

lesienses potius, quam *Constantienses*, existimo: & tres illos populos *Nantuates* (inquam) & *Sedunos*, atque *Veragros*, vno nomine *Vallesienses* hodie adpellari credo: Quod tum ex *Strabone de situ orbis* libro *quarto*, tum ex *diuo Iulio Caes. de bello gallico* libro *tercio* conligitur. Siquidem apud *Vallesienses Rhodanum* exoriri nemo nescit: Fontis autem huiusce fluminis adcolas, *Nantuates*, *Strabo* tradit, cuius, post descriptam *transalpinum Galliam*, gentesque eam regionem tenentes, de *Alpibus* earumque habitatoribus inter caetera haec verba sunt: *Post istos & Padum Salassi sunt, super quos quidem in cacumine Ceutrones, & Catoriges, & Veragri, & Nantuates, Lacusque Pelemena, per quem Rhodanus effertur, & fluminis ipsius fontes. Caesar* etiam *Nantuates* a *Sedunis* & *Veragris* non seiungit, sed eandem *Alpium* gentem adserit; tametsi nominibus censeantur diuersis. In haec autem verba *Caes.* infit: *Quum in Italiam proficisceretur Caesar, Ser. Galbam cum Legione XII. & parte equitatus in Nantuates, Sedunos, Veragrosque misit: qui a finibus Allobrogum, & Lacu Lemano, & flumine Rhodano ad summas Alpes pertinent.* Haec *Caesar*. Ex quibus *Nantuates*, non *Constantienses*, sed *Vallesienses* (vulgo *die Walleser*) haud temere scripserim. Neque id quidem omittendum, perperam & mendose apud *Caes.* allegato loco *Antuates* in impressis libris haberi, vbi vera lectio *Nantuates* habet; quod ex venerandae vetustatis sinceraeque fidei libro, in Diui *Victoris* Bibliotheca apud *Parisios*, iam olim deprendi. Vale faustiter. Rauenspurgi properatim Kls Ianuariis Anno Dni M. D. XIII.

VIII.

Henricus Bebelius Iuſtingenſis, Poeta Michaeli Hummelbergio Rauenſpurgenſi ſuo.

Felicitatem ineuntis anni optat. Deſcendens ex deliciis *Alpeſtribus*, *Zuifuldenſibusque*, atque ideo inſuetus legendi & literarum, non poſſum ex tempore, aut diligenti ſtudio quaerere de *Nantuatibus*. *Caeſar* tamen mihi occurrit, qui libro *quarto belli gallici* ita dicit: *Rhenus autem oritur ex Leopontiis, qui Alpes incolunt, & longo ſpatio per fines Nantuantium; Eluetiorum, Sequanorum, Mediomatricum, Tribocorum, Treuerorum citatus fertur*. Ex quibus quidem verbis non incongrue induci poſſumus: eos eſſe poſſe *Conſtantienſes*. Non neſcio etiam *Volaterano* (Raphäeli) *Nantuates* videri eos *Sabaudios*, qui nunc *Tarantaſienſes* dicuntur; ſed, vtrum verius ſit, neſcio. Ego collecto ingenio & habita opportunitate latius rem inueſtigabo. *Antuates* autem eſſe populos illarum *Alpium*, credo etiam, praeter *Caeſarem* aliorum Scriptorum traditionem accedere. Nouam vero inquirendi prouinciam tibi demandabo; mentionem enim facis de *Valeſia*, quam ego *Vandaliam* dici debere exiſtimo; quum Epiſcopum *Sedunenſem* aliquem, vbi neſcio, Epiſcopum *Vandalorum* legerim. Tu ſi quid ea de re noueris, ad me perſcribito. Certum autem eſt, *Curienſes* etiam *Burgundiones* olim dictos, hoc eſt temporibus paulo ſuperioribus. *Henricus* enim *quintus*, inter caeteros ſuae legationis Epiſcopos, miſit Epiſcopum *Alemannorum Conſtantienſem*, & *Burgundionum Curienſem*, qui eodem modo iſtas alpes inuaſiſſe exiſtimantur. Inde quadrat, quod *Mamertinus* ad *Maximianum* Caeſa-

Caesarem dicit, *Burgundiones Alemannorum agros occupauere: sed sua quoque clade quaesitas Alemanii terras amisere, sed repetunt &c.* Composui *Historiam Diui Hieronymi* pro horis canonicis & cum notis, vt ita loquar, musicis, cum indulgentiis & confirmatione Archiepiscopi Moguntiensis: *Historiam* item *S. Annae*; quae sunt *Augustae* impressae ductu & auspicio *Co. Peutingeri*: illum roga, & habebis unum exemplar; ego enim nullum habeo. Nam decem accepi dono: quae ex composito quibusdam Abbatibus & Collegiis debebam. In quibus videbis & studium meum in sacram Religionem, ne profana tantum me cogitare credas. De caeteris laboribus meis audies, dum & tempus habuero latius euagandi. Nunc vale. Raptim ex Tubinga X. Kls. Februarias. Anno Christi. M. D. XIII.

IX.

Chuonradus Peutinger Augustanus Michaeli Hummelbergio suo S.

Scriberem multa ad te, & in re litteraria praesertim, si otio illo, vtcunque bono, vacare possem. Verum tot & tam ardua quotidie se ingerunt negotia, & potissimum Caesare nostro praesente, vt alia modo progrediendum sit via. Mitto tibi litteras commendatitias, vt petisti; misissem & epistolam tuam, verum ex litteris tuis sane intelligere non potui, quam peteres. Vis ire Romam; valetudinem tuam curato, & inprimis vires tuas dimetiare. Spero te sororium nostrum & amicum habiturum non vulgarem. *Beatus Rhenanus* binas ad me dedit litteras, cui re-

 spon-

ſpondi : vellem hominem coram videre. Super prioribus tuis litteris reſpondebo, ſi modo potero. Vale, cariſſime *Michael*! Ex Auguſta VIII. die Aprilis, Anno. XIII.

X.

Michael Hummelbergius Rauenſpurgenſis Chuonrado Peutingero ſuo Sal.

Commodum hoc ipſo veſperi binas tuas literas adcepi, vir clariſſ. alteras ad *Michaelem* tuum, tuo nomini deditiſſimum: alteras vero commendatitias ad Dn. *Chriſtophorum Welſerum* ſororium tuum, quas, imprimis dum illuc adpulerim, mihi profuturas facile crediderim: pro quibus etiam, quas debeo, habeo gratias. Verum quando mihi hinc ſoluendum ſit, nondum ſatis noui; quum ab Antiſtite *Curienſi*, cuius comitatui & ſattellitio iam adſcriptus eram, hactenus nihil reſponſi adceperim, an ne (vti ſtatuerat) profecturus ſit: neque modo vllo e re mea eſſe putarim, vt tantum itineris ſolus capeſſam. Quare comitatus aliquis prius diſquirendus eſt, quo veluti vehiculo quopiam hinc vehar: & vtinam atque vtinam praepetibus (vt aiunt) avibus. Scribis *Beatum* meum *Rhenanum* ad te dediſſe litteras;meum autem meo iure dixerim, qui non triuialiter me amat, colit, veneratur, & ornat; qui iam olim, prius quam pontificio iuri me totum deuouerem, eisdem in Philoſophia praeceptoribus *Iacobo Fabro* Stapulenſi, & *Iodoco Chlichtoueo*, viris philoſophiſſimis atque theologiſſimis, mecum vſus eſt: quamquam, vt verum fatear, non nihil felicius. Huius, in-

inquam, literas non amusas, sed doctas, florulentas & penitus *Vlysseas*, id est, facundissimas accepisti, hominemque ad te videndum inuitasti; veniet, me hercule! & tuae humanitati morem gerens propediem, quod auguror, te istic inuiset, qui & a me proximis diebus aduocatus est: vnde reor, me hic viso, etiam ad te deinde iter arrepturum. Sed iam nimis (vereor) familiariter tecum ago, & linguacem quendam καὶ ἀμετροεπῆ καὶ ἀκριτόμυθον (vt apud *Homerum* est) ostento *Thersiten*: in tantis praesertim negotiis tuis, quibus ob Caesareae Maiestatis praesentiam distringeris. Vnde optimo iure me ψίθυρον ἄνδρα, susurronem, & garrulum adpellitare, & tanquam hirundinem (iuxta *Pythagorae* σύμβολον) tua domo proscribere quires, nisi humanitas tua & modestia omnia boni aequique consulere pernosceret. Quare de tua humanitate praeclare confisus vel id subnectere audeo, simulque receptui canere. De coniugio spiritiferi & deodocti Pauli *Capnion* noster, totius Germaniae, nedum Sueuiae nostrae decus, aliquando ad te scripsit; scripsi & ego, quibus verum felixque hoc coniugium defensitarem. Si quidem tu de meis scriptis subdubitas, habes *Fabri* Stapulensis in *Paulinas Epistolas* diuiniloquentissimos *Commentarios* nuperrime apud *Parisios* editos, qui *folio* 180. item 119. item 115. item 117. omnem scrupulum radicitus tibi eximunt, meamque sententiam probe muniunt, & verum Pauli coniugium doctissime ostendunt: quod tumultuaria lectione iamiam propere admodum tibi adnotaui. Forsan & in aliis locis idem adserit; sed festinanti haec sufficiant. Si quidem tu libro hoc cares, rescribas velim,

& ipse aut meum aut, quae ad rem hanc sunt, transcripta quamprimum ad te mittam. Est autem Opus hoc (vt vno verbo dicam) a nemine vllo satis laudatum. Non discedam, quin prius literis aliis tibi dicam *Vale*; sed multa interim inter calicem supremaque labra cadent. Coniugi tuae, foeminae clarissimae, dic salutem. Bene valeas, & me redama. Cursim Rauenspurgi IV. Idus April. M. D. XIII.

XI.

Chuonradus Peutinger Augustanus Michaeli Hummelbergio Rauenspurgensi Sal.

Quod Romam profecturus es, laudo. Vellem tamen, pro valetudine tua, autumno aut hyeme id potius fieret. Calores enim, & maxime nobis Germanis, obesse solent; quare boni consule. Noster *Beatus Rhenanus* (nec solus tuus erit) alteras ad me dedit literas, & latiales atticissantesque. Viden, quid in *Claudium Pium* filium nostrum luserit: Accepi ab eo dono *Gregorium Turonensem* Episcopum & *Adonem Viennensem*. Periucundum profecto est, &, vt mihi vere persuadeo, decori meo non mediocriter accedit, a te, & *Beato* ipso me non solum diligi, sed & amari plurimum. De Pauli coniugio, quae ad me scripsisti, *Beatus* ipse non praeteriit, licet antea me certiorem fecerit, *Iacobum Wimphelingum* subscriptos in aduersam sententiam citasse, *Franciscum Maronis*, *Antoninum*, *Liram*, *Petrum Tarantasianum*, & Diuum *Hieronymum* prius a *Capnione* relatum: Quare rogo *Fabri* locos faberrime factos, & quae in eam rem

rem elucubrasti, mittas, & cito. Tuos *Stapulanos in Pauli Epistolas Commentarios* nolo. Verum alteros pro me, vt coemantur, curato; quod impendendum erit, diligenter exsoluam. Scripsissem plura, sed tabellarius iste acceleratione sua mihi praepedimento fuit. Tu vale. Filius noster, vt spero, sanitati pristinae restituetur. Ex Augusta III. Non. Maii. Anno M. D. XIII.

Carmen Beati Rhenani in Claudium Pium Peutingerum Augustanum puerum aduersa valetudine laborantem.

Τι πλέον εἶσ ᾿ωδεῖνα πονεῖν; τι δὲ τέκνα τεκέσθαι.
Μη τέκοι, ἡ μέλλοι παιδὸσ ὁρᾶν θάνατον.

XII.

Michael Hummelbergius Rauenspurgensis Chuonrado Peutingero Augustano suo Sal.

Quia scripsi, me propediem Romam petiturum, tu vero ne feruescentibus iam illic caloribus id facerem suasisti: imo certe persuasisti; quandoquidem nobis, frigidiusculis auris assuetis, multum calescentes insalubres existimas. Non floccifacio consilium tuum; nam & expertus optime diiudicas. Laudo sollicitudinem tuam, cui non minus, quam mihi, valetudo mea curae est; ne quod discrimen incidat. Nota haec amoris est, & amicitiae tuae, qua me mutuo amanter diligere, & arcta familiaritate complecti non depuduit. *Claudium Pium* filiolum tuum, & optimae puellum indolis, aduersa valetudine laborare, ex graeco *Beati* nostri *Rhenani* elegiaco deprehendi;

hendi : & dolenter quidem. In calce vero literarum tuarum conualeſcere , & priſtinae reſtitui ſanitati lego , & voluptate adficior non parua. Quum enim tibi charus ſit , non minus ob ſpem , quam de ſe praeſtat optimam : quam quia filius ; etiam mihi , qui te aperto pectore (vt dicitur) ardenter complector , non poteſt non charus eſſe , eoque in aduerſis moerorem , in ſecundis vero laetitiam mihi adferre ſolet. Delector , tibi iucundam eſſe amicitiam *Beati* , & te mutuiter illum amare ; dignus quippe eſt , quem effuſiſſime ames : non haeſito , quin liberaliter tibi in amore reſpondeat. Tale mihi de homine , vtriusque ſtudioſiſſimo , facile perſuadeo. Quod *Iacobus Wimphelingius* , vir impenſe quidem doctus , & de Germania noſtra quam optime meritus , meique admodum ſtudioſus , nonnullorum ſcriptis ſeductus , Paulum noſtrum Tarſenſem Theocritae filium , ſacros non celebraſſe hymenaeos aſſerere auſit , non miror ; quum neque ipſe quidem Paulum in Paulo (vt facile auguror) vnquam legerit , quem ſi iam aliquando legeret , profecto palinodiam caneret. Etiam manum non vorterim , ſi pertinax ſtilum non verterit , ſed eadem cantilena perpetuo raucefceret. Neque illum ipſum cum ſuo illo ſatellitio pluris , quam pulicem elephas, fecerim ; hac enim in re lolio victitantes turpiter coecutiunt , & *Andabatarum* more pugnant, quicunque nobis aduerſam ſententiam defenſitant (ſed *Hieronymum* inter hoſce non nominarim , cui tamen in ſubſequentibus *Conlectaneis* faberrimus *Faber* faberrime ſatis facit.) Paulum nimirum in Paulo , id eſt , ea lingua , qua ſuas Epiſtolas plerasque omnes conſcripſit , non viderunt ,

derunt, non legerunt, non cognouerunt. Quî namque id potuissent graecarum literarum studio nunquam dediti, sed huiusce literaturae penitus rudes & ignari? cuius si vnquam studiosi fuissent, non semper in sole (nisi caeciores talpis fuerint) caligassent, sed nobiscum recte sensissent: nos cum illis immo. Sed quid nobiscum? immo cum deifero *Ignatio*, cum casto & sancto *Clemente*, qui in primaria illa Ecclesia Apostolorum comites & cooperatores extitere: imo plus cum ipso Paulo, qui in *Epistolis* suis plus quam semel vxorem suam legitimam aperte signateque appellitat; quod & superioribus annis *Capnion* noster, & item ego, adnotauimus, & ad te perscripsimus. Quare caperata seposita fronte Paulum, non inquam, in Paulo (quod tamen, si possunt, maxime velim) neque in ea editione, quam beatus ipse *Hieronymus vulgatam* vocitat, eiusque interpretem saepiuscule notat, vellicat, & ignorantiae accusat; sed Paulum in *Fabro* frequentius lectitent, hoc est: in ea intelligentia & editione, quae nuper nobis (vt par est censere) ὀυρανόθεν caelitus & diuinitus per *Fabrum Stapulensem*, virum omnis Philosophiae cum humanae tum diuinae doctissimum, fidelissima, verissima & prorsus sincera tralatione nobis tradita est & inuulgata. Et reuera *Fabri Commentariis* etiam lectis, & sane simul intellectis, luce pomeridiana clarius videbunt, & edocebuntur, quae hactenus perperam impugnarunt; quod non modo de Pauli coniugio dixerim, sed & de aliis satis multis, ob quae Theologi, si qui sunt impendio loquaciores, multa bella, multa praelia, multas digladiationes apud *Sententiarum* assutorem

rem inconsulte, nec minus temere frequenter susceperunt. Sed hic iam sistere calamum, forsitan non malum; ne crabrones in me irritem. Ad ea igitur *Conlectanea*, quae ex *Fabri Stapulensis Commentariis* descripsi, iam tandem deueniamus.

XIII.

Michael Hummelbergius, R. Heinrico Bebelio Poëtae suo Sal.

Et literas, & libellum quem nuper muneri nobis missisti, accepimus, vir clarissime, pro quo &, quas debemus, tuae humanitati gratias agimus. Tabellariorum penuria, quod interim nihil ad te perscripsimus, nos apud te velim excusatos habeat. De *Nantuatibus* aliud nihil habeo, nisi quod *Plinius nat. hist. lib.* 3. *c.* 19. in *Alpium* trophaei inscriptione opinioni meae (ni fallor) astipulari videtur, qui enumeratis *Alpium* gentibus *Nantuates* cum *Sedunis Veragrisque* iungit. Quod *Vallesienses* scripsi, vsus sum dictione, qua huiusce uallis incolae vtuntur hac nostra tempestate: *Vandalios* aliquando appellatos fuisse credere possum, nec refragor; tua mihi auctoritas pro ratione est. De *Burgundionibus* nihil habeo. Quid *Peutinger* noster sentiat, nondum intellexi; tametsi ad me saepius scripserit, hac tamen in re *Harpocratem* se gessit. Graecas *adagiorum* sententias aliquas forte emendare possemus, nescio si omnes; nam tam corrupte & mendose inuulgatae sunt, vt sine archetypo illas emendare vel docto difficile sit. Restituam tamen, quas possum, atque quam primum

primum iſtuc mittam. Vale Ravenſpurgi tercio Kls. Iunias M. D. XIIII.

XIV.

Michael Hummelbergius

Beato Rhenano Sal.

Chuonradus Peutinger, Auguſtanus, Iurium humaniorumque literarum conſultiſſimus, decori ſuo non mediocriter accedere putat, quod a te & amatur, & diligitur. Pulchrum decorumque ducit vir eloquentiſſimus, ab eloquentiae candidatis ſe amari, viciſſimque ac mutuum illos amare. Iam ſuorum amicorum albo inſcriptus es, quod literae tuae & latiniſſimae & atticiſſimae meruere; graecum etiam elegiacum, quod in *Claudium Pium*, optimae ſpei puellum aduerſa valetudine laborantem, docte luſiſti: non dixerim donaria, quae illi muneri miſſiſti, *Gregorium Turonenſem* Epiſcopum, & *Adonem Viennenſ.* quos & aliquando videre optarem. *Peutingeri* amorem hinc noſcito: Quum interdum meis in litteris te *meum Rhenanum* appellarim, ac ſi non etiam *ſuum*, id aegre tulit; ſed & *noſtrum*: vtpote vtriusque ſtudioſiſſimum, & amantiſſimum: & ſcripſit, & me deinceps ſcribere candide voluit. Age! quam tui memoria, & amicitia nobis iucunda & grata, nec vſquam tui obliuio! *Peutinger* cum velit, te coram videre: velim & hunc, & me (ſi commode fieri poteſt) domi interdum inuiſas. Eris profecto vtrique gratiſſimo gratior hoſpies, Demum fac me doctiorem, vbi agas, & quid agas: & frequentiſſimas literas meas videbis; modo nul-

la

la ſit tabellariorum penuria. Bene valeas. Rauenſpurgi Sueuorum. XVI. Kls. Iul. M. D. XIII.

XV.

Chuonradus Peutinger Auguſtanus Michaeli Hummelbergio Rauenſpurgenſi ſalutem.

Quae *Zelymus* Turcarum Imperator perpetrauit, a te edoctus ſum, atque exſcripſi : exemplum tuum remitto, gratiasque ago. Quod tam diu ſiluiſti, non ſatis ſcio : putabam te *Romam* ſeceſſiſſe. *Laur. Vallam* in *Nouum Teſtamentum*, & in *Pauli Epiſtolas Fabrum* tuum coemptos habui; placet vterque : ſacras literas expoliunt. *Paulum Corteſium*, quod latialiter *in ſententias* ſcripſerit, *Beato Rhenano*, vt petiuit, transmiſi; quem indies denuo impreſſum emittet, opus eruditum & elegans. *Teruana* in *Morinis* capta. *Tornacum* ſe dedit. Obſidetur *Bolonia* non longe ab Oceano ſita. Turres LXXXVIII. cum vniuerſo muro *Teruanae* ſolo aequatae ſunt. *Scotorum* rex in *Anglicum* irrupit, ſed ab *Anglis* victus & caeſus periit: deſiderati ſunt ex *Scotis* XV M. *Anglorum* X M. Proh Chriſtiani ſanguinis iacturam! Deſignatus ſum ad Caeſarem pro Confoederatis meis Orator; ſed, an ire velim, ex animi ſententia nondum conſtitui; quod iter longum, atque non ſatis tutum. Miſſus eſt mihi *Dialogus Luciani de Philoſophorum Conuiuio;* hunc ad te miſiſſem, ſed alius modo commodato habet. Coniunx & fil. te ſaluum optant. Vale ex Auguſta pridie Kls. Octob. M. D. XIII.

XVI.

XVI.

Michael Hummelbergius Rauenſpurgenſis Chuonrado Peutingero LL. Doctori Sal.

Literas tuas, chriſtiani eruoris pleniſſimas, accepi, vir omnium humaniſſime! Miraris diuturnum ſilentium meum: certe diu me ſiluiſſe non inficior, neque vllas occupationes cauſor; quum nihil mihi tam frequens quam ocium: non turpe & ignauum, ſed honeſtum & literarium, quo inprimis veluti omnium iucundiſſimo atque feliciſſimo uti ſolito; ſed reuera id in cauſa fuit, quod dignum occurrit nihil, literis mandandum. Neque aequum cenſeo, nugis & leuibus rebus te interpellare, Caeſareis negotiis ſemper obrutum; quamqnam id peruelim, oſtendere inquam, quam tui memor, quamque tuo amori gratus ſim. *Paulum Corteſium*, Theologorum omnium elegantiſſimum, tuis auſpiciis denuo æreis typis excuſum nuper *Beatus* noſter *Rhenanus* muneri mihi miſit. Neſcio orationis filum ne, an lectionis laborem demirer magis. Ita introque *) lucernam olet. Siquidem orationis characterem habet nitidum, florulentum & prorſus exquiſitum: habet & multiiugae lectionis; Philoſophorum, Theologorumque fere omnium recitata ſenſa, luculentiſſimum teſtimonium. *Luciani philoſophicum Conuiuium* legendum mittas: ſunt mihi & alii eius *Dialogi* ab *Eraſmo* & *Moro*, homine corpore puſillo, ſed animo & eruditione maximo, latinitate donati, & non nulli graeci: recipies dein ea, qua miſeris, fide. Habes & aliud *Apulei, de herbis* inſcriptum, peruetuſtum exemplar; neſcio, ſi ad exſcribendum

pete-

petere audeam. Tu ſi aequum cenſes, fac id*, apud te impetrem. Polliceor librum bona fide me reſtituturum &, ſi videtur, nulli homini communicaturum. Curabo demum, ſi quae graece, ſcriptoris vitio, perperam exarata ſint, reſtituam, citra omnem tamen tui libri labem. Idque eo maxime, quo abs te olim facilius impreſſioni liber demandetur. Scripſit *Beatus* noſter, ne ſe amplius *Helueticum* adpellem; nam ſibi hoc nomen vindicantes *Suiceros*, de Caeſ. noſtro peſſime meritos, ait. *Faber Stapulenſis Hildegardis* atque *Mechtildis* noſtratium *Viſiones* emiſit. Fuit haec de ſtirpe comitum *Andexiorum*, *Auguſtenſis*, ni fallor, dioecaeſeos: illa apud *Campidonenſes* fertur humata. Apud pagum *Almansdorf* ruſtica progenies malefico quopiam (vt ferunt) auſpice terram fodicans, *Alemanni* parentis noſtri theſaurum, terrae olim creditum, effodere nititur. Foſſa autem inſtar ouilium circumſepta eſt, ne cuiquam ingredi liceat; die noctuque ab armatis ruſticis cuſtoditur, qui tanquam a ſacro prophanos procul arcent omnes. Profecto parturient foſſae, & naſcetur ridiculus paganus; quin pro auro non niſi riſum effodient, & omnibus ludibrio erunt; quod & exitus probabit. Vale V. Kls. Nouemb. M. D. XIII.

*) *Legendum puto*: in vtroque.

XVII.

Michael Hnmmelbergius Rauenſpurgenſis Chuonrado Peutingero S. P. D.

Niſi caeſarea te negotia totum rapiant, proximas ad te literas meas, ſi memoria exciderint, relegas, meque voti compotem facias velim;

lim: & , si iustis occupationibus tantum otii suffurari datur, id omne calamo tribues, & idololatrae stultaeque gentilitatis εἴδωλα , & simulachra illa , quae tibi ex *Italia* allata fuerunt, conscribes. *Franc. Albert. Florentini de nouae veterisque Vrbis Romae Mirabilibus* libellum, si prius non videris, ad te dabo. Deum Opt. Max. assidue oro, vt, Christianis Principibus aliquando vera pace & mutua charitate reddita, eos Imp. Caes. *Maximiliano* Opt. Clementissimoque Principi, Inuicto, Augusto, Christianae Reipublicae fortissimo tutori , obsequentes faciat: vt, simul felicissimis armis sumptis , sub salutiferae crucis vexillo , in Turcam, sanguinarium & truculentissimum Christianorum hostem, moueant, eum funditus eradicent , conterant , & tanquam *puluerem* proiicianta *facie terrae* (vt Prophetae regii verbis vtar) iustis Christianam Rempublicam vlciscantur armis , non ciuilibus & intestinis praeliis semper in mutuam ferantur caedem. Deploranda profecto ista haec domestica Christiani sanguinis iactura, quam quotidie inaudimus: Laudanda vero illa ad fidem Christi gentium adductio , ab *Lusitano* Regulo factita *) , quem iamiam felicem illam & auream *Chersonesum* aiunt expugnasse. Vtinam atque vtinam Germanorum domi forisque insignis virtus Christiani belli palmarium aliquod sibi praeriperet, & huiuscemodi christiana exerceret praelia , quae Christo adquirerent animas , non perderent; quod vt fiat, faxit Christus Iesus, Dominus superbonus , superbenedictus. Vale Rauenspurgi XI.Kls. Decemb. M. D. XIII.

*) *Lege* factitata.

XVIII.

Michael Hummelbergius Rauenspurgensis Chuonrado Peutingero Caes. a Consilio Salutem.

Diſtringeris nunc nunc aliis negotiis, & quidem arduis, ſcio; non poſſum tamen, quin te iterum literis compellem, & alloquar. Adcepi nuperrime ex *Pariſiorum Lutetia Iod. Badii Aſcenſii*, viri vtcunque docti & mei ſtudioſiſſimi, literas:ex eo,mihi iucundas,quod eam famam quae de *Eraſmi* noſtratis immaturo obitu apud nos increpuit,vanam atque mendacem ſignificat;ſed ex eo triſtes, quod *Fabrum Stapulenſem* meum, virum philoſophiſſimum iuxta & theologiſſimum (vt ita dixerim) cum aduerſa valetudine conluctari ſcribit, eaque cauſa eius partes in literis ad me ſcribendis obiuiſſe. Vnde ſacrarum bonarumque literarum ſtudioſis non nihil timendum eſt: ne viro hoc, Philoſophiae cum humanae tum diuinae primario inſtauratore, priusquam literariae Reipublicae ſatis conduxerit, orbentur. Solet enim plerumque grauibus morbis mors ipſa cominus concertare, & victoria potiri. Quare non parum angor, tum Philoſophiae Theologiaeque & humanioris literaturae ſtudioſorum, tum meo nomine, qui ab ipſo non parum diligor; quod familiariſſima (dum illic agebam) conuerſatio, & monumenta etiam eius in publicum edita teſtantur. Sed quid ad te iſta? niſi vt quum me diligas, & deſideriis meis ſemper amiciſſime obſequaris, etiam in iis, quae vel oblectant vel angunt, ſimiliter mecum afficiaris, & aut voluptatem aut dolentiam capias; quum communia ſint amicorum omnia. *Badius* ſub literario praelo iam habet pluſculos *Luciani Dialo-*

ges ab *Erasmo* recentius latina ciuitate donatos: Item *T. Liuium* cum X. exemplaribus conlatum, milleque (vt ait) asteriscis elucidatum: Item *Salustium* ab *Hieronymo Alexandro* *) Germano, graeco Praeceptore meo, & *Paulo Aemilio* Italo, regio oratore & historiographo, post *Aldum*, ad exemplar vetustissimum recognitum: Item *Franc. Barbatum de re vxoria*, & alterius cuiuspiam *Leges connubiales*: quas tibi, cui bellula coniux, bellula proles est, accommodatiores putarim, quam mihi; qui nec sacre nuptum quempiam, nec mulierosum & salacem *Iouem* παρὰ θύραν εἰσβιαζόμενον, καὶ τῶν ἡδονῶν σολοικισμὸν ἀγαπῶντα, praeter ianuam irruentem, & voluptatum soloecismum adamantem: sed *Hippolytum Veneri* longum valere renunciantem aemulabundus, caelibem vitam selegi, non imprudenter forsan existimans, bene mihi sic fore, vt sine multa sollicitudine & extraria cura Domino, literis quoque sacris seruiam placeamque. at haec obiter; & forte fortuna calamo non excidisse praestaret. Vtcunque nolis velis, tibi obstrepui, quo mihi nemo suauior, iucundior, gratior. Vale Rauenspurgi V. Kls. Decembris M. D. XIII.

*) Melius *Aleandro*.

XIX.

Michael Hummelbergius
Chuonrado Peutingero Sal.

Recte facis ac probe, quod omnia quaeque mihi communicas. Oblectat hoc me non parum, & te non nihil iuuabit id. Ex praesentibus literis me totum *Argum*, & prorsus *lynceum*, teque oculatiorem agnosces. Nolim autem te, de

me ſemper optime meritum, & tantopere dilectum, male audire exiſtimes: ſi ſuperbiuſcule iam quidpiam inſonuerim, & ea dixerim me inueniſſe, quae vel oculorum acumine acutiſſimo cuique inuentu difficillima ſint, & te alioqui oculatiſſimum effugerint. Non omnium eſt omnia cernere, vti neque omnium (quod paroemia dicitur) *Corinthum* nauigatio. Miraris iam, ſcio, &, quidnam id ſit, deſideratiſſime expectas edoceri. Caperas frontem, quod non ediſſero; ſi autem ediſſero, vix credes; cogam tamen credere, quin conceptis verbis non coniecturam aliquam, ſed veritatem ipſam aſſerere, perſancte iurauerim. Credes eo libentius, quo hoc tibi gratius; gratiſſimum autem & eſſe debet, & reuera eſt, quod a dubitatione liberat, & omnem animo ſcrupum eximit. Sed te diutius anxium ne teneam: paucis id, quod eſt, accipe. In *Adnotationibus* tuis, quas ad *Apuleium de herbarum medicaminibus* doctiſſime ſimul & elegantiſſime meditaris, ais, in antiquo Exemplari tuo ob detritas vetuſtate literas nemini liquere poſſe, quisnam *Agrippae* deſtinati Opuſculi, *de Vetonicae* *) *herbae medicaminibus*, auctor ſit; coniectura tamen duceris, *Antonio Muſae*, *Auguſti* Caeſ. Medico adſcribendum eſſe; licet affirmare conſtanter, nequaquam audeas. Ego *Antonium Muſam* Opuſculi illius verum & genuinum auctorem agnoſco, non coniecturam vllam, ſed Opuſculi praeſcriptionem ſecutus: quam, licet aegre, legi tamen, & certe hoc modo legi: *Antonius Muſa Marco Aprippae ſalutem.* Hoc rubris eſt ſcriptum literis, quod rubris iterum nigrisque miſtim ſequitur: *Caeſari Aug.* &c. Ex hoc iam tuas caſtigabis *Adnotationes*, & vbi vbi

opus

opus eſt, veru confodies. Sed etiam aliud eſt, quod, quemadmodum in *Philippi* codice, *Herbarii* titulus etiam *Muſae* Opuſculo praemittitur: ita & hîc in tuo, in quo in primae lineae rubro ita lego. *Incipit Herbarius Apulei Platonici.* Qui appoſititius titulus *Philippum* illum fefellit, vt *Muſae* Opuſculum etiam *Apuleio* adſcripſerit. Puto autem *Apuleium* a *Muſae* Opuſculo, quod de *Betonica* herba duntaxat eſt, *de herbarum medicaminibus* ſcribendi anſam arripuiſſe: illudque tanquam exemplar ſuo praepoſuiſſe, & id quidem non inconſulte, quod prorſus *Muſam* aemulatus videtur, nedum imitatus. Vnde contigit, ut vtrisque libellis vnus a librariis titulus praefixus ſit, & is potius ſub *Apulei*, quam *Muſae* nomine; quod pleraque omnia *Apuleium* auctorem recognoſcant. *Muſae* autem *Epiſtolio*, neſcio, quid mancum aut mutilum magis? ſed de iis ſatis ſuperque. Ingentes tibi gratias ago pro tantis in me officiis; quoniam mihi ſemper tua communia vis eſſe, & ea exhibes noſcenda, quae alium noſſe velles neminem. *Apuleium* ad te remitto, ſimul item & ſcripta tua pulchre inchoata, ſed & limatius abſoluenda; quae cum abſolueris, iterum ſpectanda (ſi videtur) exhibebis, priusquam edas. Caepta maturrime perficito. A te nullas literas exigo, niſi bene otioſo: & otium tuum nonnunquam in negotium vertes, quo non laconice ſed aſiatice ad me reſcribes. Coniugem tuam, probatiſſimarum matronarum ſpecimen, item & fill. iubeo valere. Bene valeas *Chuonrade* omnium ſuauiſſime, & me mutuiter ex more ſemper diligito. Quam celerrime. Rauenſpurgi VI. idus Decemb. M. D. XIII.

*) *Lege* Betonicae; *uti paulo inferius legitur in eadem hac Epiſtola.*

XX.

Michael Hummelbergius Rauenſpurgenſis Stephano Roſino Caeſ. Mtis in Vrbe ſollicitatori. *S. S.*

Gloriatur paſſim, vt aiunt, *Hogoſtratus* ille *Capnionis* noſtri Zoilus, *Grimanum* eiusce cauſae iudicem eius fouere partes, ſeque contra *Capnionem*, & mea & optimorum opinione innocentiſſimum, ex animi ſui ſententia habere iudicem: Propter quod & libros ſuos per trapezitas iſtuc transmiſit, eos breui ſubſecuturus; vt habita iſtic pro votis, quam ſperat, victoria ad domuitionem ſeſe paret, & cum inſigni, quem ſibi confidenter pollicetur, triumpho tandem ad ſuos *Aprippinos* felicibus avibus redeat. Vellem itaque pro mea erga *Capnionem* beneuolentia, imo vt verius dicam, pro meo erga literariam Remp. cuius aſſertor & tutor eſt omnium maximus, amore, T. D. pariter & *Queſtenbergii* arrectis auribus accuratius aduertere, ne iudex ille, vnde ſalutem ſibi omnem doctus *Capnion* retur impendere, turpiter diuerſam in partem labatur; quod ex noſtris nonnulli formidant. . . . . Verum ego tale quidpiam de tanto viro ſuſpicari non auſim, quem ob animi dexteritatem, quam illi tribuunt, & iuſtitiam contra *Phoenicem* noſtrum iudicaturum non arbitror; maxime quod *Capnionis* integritas, puritas, & innocentia ei clariſſima ſit & manifeſtiſſima, qua bonos quosque & recti iudicii homines in amorem ſui atque tuitionem dignitatis & honoris ipſius nusquam non allicit, non ducit, non cogit, & ita quidem cogit, vt nisi optime homini precari poſſint, & liberaliſſime velint. Si qui vero ſecius cogitant

&

& agunt, ii non boni ſunt, ſed improbi, & infidi, honeſtiſſimo & optimo viro optimum & praeſtantiſſimum exquiſitae multarum linguarum eruditionis, ac ſincerae vitae nomen inuidentes, quod quum ipſi nequeant aſſequi, inuidere illi hoc etiam videntur. Ob quod flagitium ſua eos ipſos poena manet, quam, velit Deus, luant, vt merentur, miſeris modis: illum vero, propter bene non tam erga literariam, quam totam Chriſtianam Remp. merita, ſua gloria, ſuus triumphus; .... quod, vt regii Prophetae verbo vtar, *fiat*, *fiat*. Plura & ad te, & ad *Queſtenbergum Capnionis* *) procur. *Vanderuichius*, cuius literas hiſce meis colligatas recipies. Vale muſice! Ex Vrbe VI. Kls. Decembr. M. D. XV.

*) *Legendum puto:* procuratorem.

XXI.

Michael Hummelbergius Rauenſpurgenſis Stephano Roſino Auguſtenſi Sal.

Qui adhuc hic ſunt *Peperimanitae*, (hoc nomine *Pepericorno* adhaerentes fautores, & cum eo ſentientes, ſeu potius inſanientes & furentes *) voco) contra *Capnionem* noſtrum ſe victores fore, mirum in modum ſeſe iactitant, &, tanquam iam victoria potiti ſint, quem aliquando agant, nunc fingunt, & pingunt triumphum. Vnde vero ſuae victoriae tam confidentem & certam, vt ipſi rentur (vtinam falſo) ſpem nacti ſint, de ſuis rebus alioqui deſperati: ſatis excogitare non poſſum. Autumo, ſibi ipſis hanc laetitiam turbato corculo fingere, vt *Capniophi-*

 los

los disturbent, & anxios reddant, ne ipsi soli semper inter *Scyllam Charybdimque* aduersa procella agitari videantur. Sed age! liceat illis etiamnum *Capnionios* musigetas *Zanclaeo* saxo addicere, periculumque minitari, dummodo istorum celox turgidis velis & vento secundo salutis in portum properet; quem vt apertum & tutum habeat, tua D. vna cum *Questenbergo*, viro cum docto tum integro, & aliis, si qui sunt, *Capnionis* & optimarum literarum, castarumque Musarum amatores, sedulo operam nauabit. Hoc & *Capnioni*, & tibi non parum decoris addet; tibi etiam nomen, vt mereberis, inmortale pariet, quum sui triumphi auxiliares milites *Capnion* tersissimis scriptis suis gloriose celebrabit. Adsis igitur optimi viri famae, adsis gloriae, adsis dignitati atque etiam saluti, vt vir aequus aequo ab iudice aequissimam pro se sententiam tandem habeat. Vtinam ipse tantum pro viro possem, quantum vellem; reuera omnem mouerem lapidem, omnes adhiberem vires, vt ipsum literariae Reip. qua de vndiquaque meritissimus est, saluum & tranquillum seruarem. . . . . *Iacobum Questenbergium* saluere desidero. Vale, & me ama, vt assoles. Cursim Romae VII Eidus Decemb. MDXV.

*) *Intellige fautores Io. Pfefferkorn.*

XXII.

Michael Hummelbergius Rauenspurgensis Stephano Rosino Augustensi, S. S.

Sententiam superioribus annis *Spirae* pro *Capnione* nostro latam *Hogostratus* infirmare molitur. Libel-

Libellos, quibus id efficiat, a Patrono suo repetit, quos istuc famulus eius portat. Vos, quiqui estis *Capniophili*, sacris fauete Musis, virtutem amplexamini.... Vale. Romae, Eidibus Ianuariis. MDXVI.

XXIII.

Michael Hummelbergius Rauenspurgensis Ioanni Frobenio Chalcographo S. S.

D. *Chuonradus Peutinger Egidio Remo* ciui & necessario suo, *Beatus* vero *Rhenanus* mihi, te Diui *Hieronymi*, sacrarum literarum laudatissimi interpretis, *Opera* per totius Europae (quae Christo deuota est) bibliothecas conquisita, typicis formis nunc nunc excudere significarunt: monuerunt simul, atque impense rogarunt ab *Leone* Pont. Max. priuilegium impetrari, ne cui intra quinquennium illa vspiam denuo liceat imprimere. Nos aequum duximus, te totis nostris viribus adiutare, moremque tibi, & *Peutingero* & *Rhenano* (quibus singularis amicitiae vinculo colligamur) gerere, atque in tam pio & literariae Reipubl. vtili opere obsequi; maxime etiam quod *Erasmo Roterodamo*, Germanorum omnium elegantissimo, qui non paruam operam huic editioni impendit, placere voluimus. Sed quo facilius & minori impensa hoc consequeremur, vsi sumus humanissimorum virorum opera *Stephani Rosini* Augustensis, ac *Iacobi Questenbergii*, qui Reu^mum Cardinalem *Adrianum* literarum literatorumque studiosissimum, vt apud Pont. pro te verba faceret, exorarunt. Is pellectis *Rhenani* nostri lepidissimis litteris, quas ea de re ad me dederat, nobis obsequens ab Pont. quod

petiuimus, impetrauit. Impetratum igitur, & expeditum *Apostolicum Breue* (quod vocant) in praesentia cum hisce ad te mittimus. Impensam autem fecimus sex ducatorum, quos, ab *Welseris* Augustensibus acceptos, eisdem curabis restituere. Eam hac in re vel minimam puta; sed nostro labori, nostrae industriae tribuas, quod minus aliis soluimus. Nemo enim, mihi crede, tam paruo impetrasset, quod & *Romani* librarii contestantur, qui etiam, a nobis consulti, circiter triginta aureos nos exposituros asserebant: Es igitur nobis, qui tam obsequenter & tuis, & amicorum precibus, seu potius admonitionibus paruimus, nonnihil nunc deuinctus, vt beneficium hoc in te collocatum, dum occasio dabitur, mutuiter re compenses. Bene valeas, Frobeni charme, deque re literaria vndiquaque meritissime! vt ego te meis, ita me tuis velim adscribas. Ex Vrbe XXX. Augusti. Anno Xpi. M. D. XVI.

XXIV.

Chuonradus Peutinger Augustanus
Michaeli Hummelbergio Rauenspurgensi
S. P. D.

Putas, in causa illa testamentaria non scribendum esse, cum, Legato acceptato, testamentum *Vdalricus* ille tuus ratum habuit: nec sibi vltra actionem competere. Et ita ego puto. Pactum quidem dotis, vel doti adiectum, testandi facultatem non impedit; cautius quidem id apponendum fuisset. Etsi testamentum illud iuris scripti solennitate debita defectum non mediocrem patiatur, attamen nostri Doctores id

etiam

etiam adfirmant: quod conſtitutione, ſiue(aiunt) ſtatuto magnus ille numerus teſtium ſeptem in pauciorem cogi poſſit, dum diuinum ius, quod duos vel tres teſtes expoſtulat, non laedatur; cui ſtatutum Nurmbergenſe non repugnat, quo teſtari etiam coram duobus (dum ex Senatu nominati fuerint) permiſſum eſt. Bene iudicio meo *Vdalricus* egit, quod, Legato habito, a lite & rixoſa illa vexatione ſe quietum & liberum reddit: Multa pro eo dici poſſent; an autem ex his vtilitatem conſequi valeat, nunc non ſatis diiudicare poſſum. Scripſi multa, ſed, vt ingenue fatear, concludentia minus. Quod actum eſt, putaui, & puto eſſe tutius. Te vt verum & integrum amicum fallere nolo; quid alii opinantur, ipſi viderint. Haec tecum; vt amico, & pro amico ſcribo. De ſchedula non dubito, hanc, vt voluntatem vltimam, & iuris ſolennitate carentem, oppugnari poſſe: ſed quid agitur, ſi teſtamentum ipſum firmum permanet? Quare remitto exempla, quae apud me dimiſeras. *Egidius* noſter nondum venit; cum venerit, cuius reditum indies ſperamus, ſibi tuas humaniſſimas litteras perlegendas dabo. Vale. Tabellarius accelerat. Die XXIX. Maii. Anno M. D. XVIII.

XXV.

Michael Hummelbergius R.
Stephano Roſino Auguſtano S. P. D.

Tot, tantaque erga me ſunt beneficia tua, Vir praeſtantiſſime! vt non debeam tui vnquam obliuiſci; ſed ſemper optima quaeque meo iure tibi comprecari, quo certe nihil factito frequentius;

tius: si mihi fidem habes homini tibi deditissimo. Cur autem non haberes, qui me intus, & in cute (vt dicitur) num ater, an albus sim, nosti: & meam in te obseruantiam, dum istic essem, mutua conuersatione, qua te nimium forsan, quam decebat, familiariter vsus sum, habes exploratissimam? quam nolim existimes vel tantillo minutam. Adhuc tecum creberrime conuersor, & si corpore longe dissitus, animo tamen, cui nihil non peruium, tibi semper adhaereo: hoc tibi, absens etiam, praesens sum; maxime dum litteris colloquor, quod, cum rarius forsan faciam, nulla tamen nostrae amicitiae negligentia, nullo despectu fieri arbitrare, sed tabellariorum & rerum scriptu dignarum penuria. Quum enim te dignum nihil occurrat, solis nugis te offendere haud velim, hominem tanta negotiorum cura & mole oneratum. Quod vel nunc mihi fuisset obseruandum, nisi singularis erga te amor meus hunc Laconismon plane exegisset: quo ineunte hoc anno hospitatem, & rerum omnium felicem successum bono & prospero quodam omine tibi exopto, &, te corde meo necdum excidisse, tibi persuadeo, cui altius insides, quam vllum silentium, quamuis longum, deiicere queat. Vale feliciter, vir clarissime! me, vt olim coepisti, vere dilige: tuis literis, dum per ocium licebit, oblecta. Dic salutem meo nomine Dn. *Caspari Wirt*, *Hieronymo Alexandro*, *Leodiensis* Episcopi Oratori, praeceptori meo & amico suauissimo. Cursim ex Rauenspurg. Idibus Ianuariis M. D. XIX.

XXVI.

XXVI.

Michael Hummelbergius Rauenſpurgenſis Chuonrado Peutingero V. I. Doctori S.

Quem ad alterum latus *Mercurii* tui bouem, ſiue taurum ſubſidere olim coniux tua ſcripſit, ego hircum eſſe reor, non, vt opinor, leui ratione; quam ſi cupis, lubens perſcribam: nunc non tantum otii eſt. Si rem acu tetigero (quod aiunt) probabis ingenium: ſin minus, non improbabis diligentiam & conatum, ob tui amorem inſumptum; pro quo nihil mihi vnquam graue erit. Vale Id. Ianuariis M. D. XIX.

XXVII.

Michael Hummelbergius Rauenſpurgenſis Chuonrado Peutingero Auguſt. S. S.

Ianuario ſuperiore, antiquorum imitatus ſtelographias, ſcripſi Caeſ. *Maximiliano Epitaphium*, mea ſententia non eo vſque malum, vt breue: neque ita breue, quin magnificos titulos, iuſtos honores, & praecipuas virtutes, quibus Chriſtianiſſimus Caeſ. Principibus anteſtabat omnibus, ſim complexus. Verum, doctiſſime Peutinger! de loco, vbi Caeſ. hominem exuit, ambigo: *Auſtriae* an *Bauariae* tribuendus ſit? ſunt, qui vtriusque prouinciae limitem, atque ideo vtrique adſcribi poſſe, dicant. Ego *Bauariae* adtribui. Si contra ſentis, in tuam ſententiam lubens ierim. Quod autem vitae & imperii *Maximiliani* menſes, & dies (nam annos, ni fallor, recte habeo) deſiderare me vides, tu rogo adpone. Habes, ſcio, eius natalem diem, & quo *Francofordiae* in Caeſ. eſt electus.

Abſo-

Absolutum *Epitaphium*, vel quae addideris mutauerisue, ad me remitte. Quod si tibi probatum fuerit, in *Augustalibus* tuis obelisci alicuius basin occupare sinas, vel alias, vt lubet, in publicum edas adpicta Caes. effigie. Nosti ex frequenti historiarum lectione *Druso Tiberii* fratre defuncto, & *Quintillo Varo* cum legionibus & auxiliis omnibus a *Germanis* caeso, *Augustum*, eam cladem vindicaturum, contra *Germanos* *Tiberium* priuignum suum misisse, vouisse etiam ludos magnos *Ioui magno*, si rem Romanam in meliorem statum vertisset, atque etiam tum permisisse (vt opinor) pro *Tiberii* itu & reditu vota publice suscipi. Vnde illud, *Augustae* domi tuae adseruatum, in honorem *Mercurii* ab *Apio Claudio* susceptum est: & hoc *Briganti* (ita adpellari credo ab antiquis oppidum, nostrate lingua vocatum *Bregenz*) a *Seuero* Subcos. illic superioribus annis terra effossum. Id cum te arbitrer non habere, existimaui, me tibi gratificaturum, si eius te participem facerem.

IN H DD
DEO MƎRCVRIO
ARCECIO EX VO
TO ARAM POSVIT
SEVƎRVS SEVE
RIANVS SVBCOS
LEG III ITALIE
CORDIAN
S. L.

Ære tuo adhuc obstringor, nosti, quod ob diploma Caesareum; profecto non mea negligentia

vel

vel ingratitudine, ſed tua taciturnitate fit, vt in eo, quam par ſit, diutius adtinear, quando tuarum literarum interim accepi nihil: proinde, ne mea cauſa iacturam patiaris, quidquid illud ſit, ſcribito; & ex integro diſſoluam. Vale feliciter, vir optime! Rauenſpurgi. V. id. Iun. M. D. XIX.

XXVIII.

Chuonradus Peutinger
Michaeli Hummelbergio S. P. D.

Literas tuas, quas ad affinem meum Dn. *Egidium*, & me dederas, tabellarius ille *Rauenſpurgenſis* mihi reddidit: mox D. *Egidio* per *Claudium Pium* filium meumq; ſuas ſibi dari curaui. Is hanc pecuniam, quam tibi obſignatam mitto, ſimul cum ſuis literis, ad me miſit. Quae de Caeſare noſtro exaraſti, gratiſſima nobis fuerunt; tum quod elegantia & vera ſunt, tum etiam quod perneceſſarium ducimus haec publicanda: dum menſes, dies quoque apponentur, quos nondum rectos habemus. Vere ego nec *Auſtriam*, nec *Bauariam* ponerem, ſed potius apud *Anaſanam Welſam;* Prouincia enim haec non *Auſtrica*, nec *Bauarica*, verum ſupra *Anaſum* appellatur. Ego de illa tua inſcriptione *Seueri Seueriani* latius poſthac ad te perſcribam, cum credam vt recentius nihil ad *Tiberium* Caeſ. Pro diplomate nihil ſolui, quare ex pecunia tua retinere volui nihil. Vtinam tibi commode morem gerere poſſem. Vale, & me ama, vt ſoles. XII. Iunii A. M. D. XIX.

XXIX.

Michael Hummelbergius Rauenspurg.
Chuonrado Peutingero V. I. Doctori, suo Sal.

Recepi & literas, & pecunias, abs te & *Egidio* nostro *Rem* mihi iam pridem per publicum hunc nostrum tabellarium missas. Monumentum, a nobis Caesari positum, si extra tuos *Augustales* publicandum euulgandumque omnino censes, fac bellula aliqua pictura & Caesareis characteribus exornetur: quo & spectantium ocellos, & legentium aures oblectet, vtrocumque voluptati morigeretur. Eo linearum ordine exprimatur, qui tibi magis probabitur ex his, quos ipse posui; vel alium, vt vt lubet, adsignato. *Anasanam Welsam*, expuncta dictione *Bauariae*, reponito; non mihi displicebit vnquam, quidquid acri iudicio tuo placere cognouerim.... Castissimam coniugem tuam, pulchellas filias, & optimae indolis puellos saluere opto. Cura, vir optime! vt belle valeas mei nusquam immemor. Rauenspurgi VI. Kls Sextiles M. D. XIX.

XXX.

Ioannes Reuchlin Phorcensis LL. Doctor
Michaeli Hummelbergio Rauenspurgensi S. D. P.

Ex summis occupationibus ereptam crede hanc, quantulacunque est, epistolam meam. Ita deuicta patria; tanquam videamur nobis in alio mundo degere: indies πολυπραγμονέστεροι sumus, qui timemus *Cadmaeam* victoriam.... Accedit, quod adhuc libros electiores in terram suffossos seruo, quibus in libertatem alioqui vindica-

dicare possem molestum animum. Nam cum initio belli formidarem, omnia incendio tradi, tum in carcerem conieci dilectiora volumina, & occului, quorum ministerio hucusque careo. Quare nihil de me speres, Hummelbergie! Musis dignum. *Fuimus Troes!* Imo *habui Chreme*! Literas tuas *Christophoro* Baroni pro tuo iussu ostendi, qui & te amat, & me diligit, quin potius me vt senem veneratur: Habet omnes virtutes, quas de illo praedicas, & multo plures. Cum *Athanasius* meus *de variis quaestionibus* e praelo iampridem exiisset, feci eius copiam illi nobili & generoso *Christophoro Suarcembergii* Domino, praesidi prouinciae ducatus *Wirtembergensis* cum hoc Hexasticho.

Scire potes, toto quid feci mense priori,
Si relegas istum, quem tibi mitto, librum.
Nemo mastigia, nec Capniozoilus ausit
Musarum sacro me prohibere choro.
Dogmata semper agam, totoque legetur in orbe
Fumulus *) hexaplo doctus ab ore loqui.

Accepit, vt omnia solet, benigno vultu. Et polleo apud eum, & possum, idque haud vulgariter. *Ph. Melanchton* meus inter Saxones *Wittenburgi* versatur, pulpito praefectus latinarum, graecarum, & hebraicarum literarum; quem honorat illustrissimus *Friderichus* Elector omnium maxime. Si dabitur facultas, illi te commendabo. Quid meae parturiant Musae, expectas. Muscæ vis dicere; plus enim in me perdunt Muscae, id est, Theologistae, quam parturiant Musae. Nuper enim, ex antiqua inuidia Astharothae,

rothae, diabologi noua eſt aduerſum me orta criminatio. Scripſit namque aduerſum me de arte Cabaliſtica contumelioſe nimis, & famoſe. Cum autem contra verboſos nolim contendere verbis, oſtendi tamen euidentiora libri ſui mendacia, quae praeſentibus his litteris ad te mitto. Audies poſt haec alia; nam anſam amicis dedi vindicandi mei. De omnium noſtrum deditione hoc *Ennii* ſentito: *Quem metuunt, oderunt*. . . . Deſeruerunt ducem noſtrum initio belli *Heluetiorum* ſupra decem & octo millia, recepta ſtipe. Opinionem quoque in *Haſſia*, & vicini quoque noſtri fefellerunt equites. Hinc illa mala, quae prius non auſpicata more maiorum euenerunt. Sed cogitet confoederatio: *Non minor eſt virtus, quàm quaerere, parta tueri*. Placuerunt mihi tua in Caeſarem *Epitaphia*; cur enim, quae *Hummelbergii* ſunt, non valde placerent *Capnioni*? Et gratulor ea per noſtrum *Peutingerum* praelo committi. Faceret idem noſter *Thomas*, niſi praeuentioni locus fuiſſet. Vale, atque hoc odarum memento: *Omnium verſatur vrna, ſerius, ocius*. Iterum feliciter vale in die Petri & Pauli apoſtolorum. An. M. D. XIX. Stutgardiae.

*) *Interpretare* Reuchlin.

XXXI.

Ioannes Alexander Braſſicanus

Michaeli Hummelbergio R. S.

Salue *Michael* doctiſſime, atque amicorum optime max! Quam vertat pilam, & quo cardine viuat tuus *Braſſicanus*, iuuenis, accipe paucis. Praeteriere iam tres menſes, quibus

bus ego me aulae mag^{fici} atque generoſi Dn. Dn. *Maximiliani de Seuenberg* , Catholici Hiſpaniarum & Rhomanorum Regis Diui *Caroli* Oratoris dexterrimi , deuinxi. Paſſim huc atque illuc, muſtelam etiam *Plautinam* uincens , vagor. Vbi ſim , plane neſcio : ita me aulicum illud mare ſurſum atque deorſum , rurſum atque prorſum volvit. Dii tribuant meliora peractis ! *Tubingenſem* illam conditionem non ferret quoque treſſis agaſo. Itaque bene mihi conſultum eſſet, ſi vno atque eo ſtato poſſem eſſe loco ; verum cum fieri non poſſit , & mea & fati cauſa , boni aequique hanc mihi conſulo fortunam , eo tamen modo. Inſtitui , me iam velle vltimum vale aulae dicere: *Augurio hoc fauſto dextera cantet auis!* Haec ſunt , amicorum optime , atque optimorum amiciſſime ! quae te ſcire volo. Caeterum miſi ad te ſuperioribus diebus meam *OMNEM*, tum *Calphurnii* atque *Nemeſiani* noſtro puluere vtcunque reſtitutas *Eclogas* , apud noſtrum *Herckmannum* ; cupio , vt haec ſalua fide reddita ſint. Habes hic meum *Caeſarem* , tuo nomine in frontiſpicio inſignitum. *Moguntiae* excuduntur noſtra haec omnia , ſcilicet *Carolinon*, *Idillion* , *Elegeiae* , *Dialogi* , *Epigrammata* , & *Xenia*. Videbis & hic tui , vt merito , honorificam factam mentionem. Iam *Auguſtae Dialogum* emitto *contra Gallum* , Imperium ambientem, cum *Epiſtola Germaniae ad Carolum* & *Caroli ad Germaniam* , & *Epitaphio* ambidextri hominis , *Conradi Roſaui*. Habebis omnia proxima occaſione oblato nuntio. Tu bene de nobis ſpera ſemper. Omnia illa quaſi volanti mihi ſcripta ſunt ; ſedendo forte aut doctius aut melius ludam , nunquam immemor mei humaniſſimi

Hummelbergii, quem vtinam contingat aliquando & videre, & alloqui. Nil mihi optatius eueniret vnquam. *Augustae* iam versor, & hinc me abiturum puto; cum neque sanitas, neque studium meum patiatur aulam diutius sequi. Quare *Michael* chariss. scribe nobis, quamprimum poteris. Tuus vbique sum, & gaudeo, me *Hummelbergii*, hoc est; hominis & integritate, & eruditione prima niue candidioris, esse. Vale meum delicium. Ex Augusta Vindelicorum, Anno a nato Christo M. D. XIX. Mensis Augusti die II. Saluus sit meus atque tuus *Philo*, cui & aliquando *CAESarem* legendum exhibeas. *Grunnii Crocottae testamentum*, cuius *Erasmus* in *Moriae* limine meminit, & alibi diuus *Hieronymus*, *Listrius* non adducit, neque *Erasmo*, neque lectori, neque sibi satisfaciens. Ego *Moguntiae* in antiquissimo libro reperi, atque repertum summa cura exscripsi. Videbis & tu propediem; vidisses iam, nisi me nuntii molesta celeritas, atque alii *sisiphii* labores interturbassent. Vale atque spera.

XXXII.

Michael Hummelbergius Rauenspurgens.
Ioanni Fabro I. V. Doctori S. S.

Quid est, optime *Faber*! quod tibi cum *Rhegio* non conuenit! Qua re ab illo lacessitus, aut violatus es, vt de ipso nunc adeo sinistre sentias? Credidi, hunc ipsum omnium fore gratissimum, erga te maxime, a quo innumeris affectus sit beneficiis, & cui secundam fortunam suam cum primis debeat: atque, vt semper id ipsum credam, cogit me frequens ac

hono-

honorifica, in eius ad me literis, tui mentio. Nusquam te nominat (nominat autem frequentre) quin Maecenatem & Patronum suum te appellet; quod, mea sententia, oppido quam grati indicium est animi, & tibi admodum bene volentis. Quod si forte *Eccium* tuum iniuriola aliqua affecerit, id te alienare ab illo omnino non debet, vt tam sancte & pure cum *Rhegio* contractam amicitiam dissoluas: forte prior laesus est *Rhegius*, vt in *Eccii* dorso iustius haec cudatur faba. Proinde tui sit officii, qui aeque vtrumque amasti, aeque ab vtroque ornatus es, vtrumque alteri reconciliare, &, quid quid dissidii causa est, penitus e medio tollere, quod te pro singulari tua humanitate facturum non dubito. *Dialogum Contzi & Fritzi* necdum vidi; si tu habes, mihi legendi copiam facito. Non facile illorum sententiae accesserim, qui hunc *Rhegio* ascribunt auctori..... Vale feliciter. Rauenspurgi. Kls. Augusti Anno M. D. XXI.

XXXIII.

Michael Hummelbergius Claudio Pio Peutingero Augustano S. S.

Impetrasti a me, quod tantopere postulasti, mi *Claudi*! Piissimum parentem tuum multis nominibus amo, & quidem vnice: te etiam, quod non tam ingenii felicitate, quam animi candore patri similem fore sperem, non minus amo. Siquidem litteris tuis tale ingenii & animi specimen praebes, vt qualis ipse futurus sis, praesagire haud difficile fuerit. Proinde, studiosissime *Pie*! bonas litteras, quibus destinatus es, pietate adorna, & pietatem bonis litteris

adiuta : & ita ſemper age, vt talis aliquando ſis, qualem te nobis pollicemur. Hoc opus tuum, hic labor ſit, vt pia eruditione & erudita pietate atque pura & ſincera fide indies magis magisque clareſcas. Ita nimirum toto pectore, toto animo te amplexabimur. Vale macte virtute puer! Rauenſpurgi e muſeio noſtro. VIII. Kls. Octobris. M. D. XXII.

XXXIV.

Michael Hummelbergius
Chuonrado Peutingero Auguſtano S. S.

Si quid in te contulimus officii, ſatis nobis gratiarum relatum eſt, vbi illud candido & ſyncero animo ſuſceperis. Non enim, quod voluimus debuimusue, ſed quod pro tenuitate noſtra potuimus, fecimus, & id lubentiſſimo animo. Maiora ſunt erga nos beneficia tua, quam vt ex aequo a nobis referri queant. Sed omnia apud bonos viros recompenſat prona voluntas. *Claudio* tuo reſcripſi, & paucis laudaui adoleſcentis ingenium, vt ad optima quaeque extimularem; laus enim excitat, & gloria iuuat bonae indolis adoleſcentes. Pro aetatula ſua ſatis & eleganter & erudite ſcribit, & ſpem de ſe praebet maximam, quod in magnum creſcat virum, & ſeſe nusquam, & nunquam ſit neglecturus. Vellem te *Marſilium Patauinum de Imperii translatione*, cuius libri in *pacis defenſore* idem meminit, impreſſoribus demandare excudendum, aut *Baſileam* miſſo libro id muneris *Her. Buſchio* commendare, qui *pacis defenſorem*, prologo adornatum, a plerisque omnibus inuulgaſſe fertur. Quod vero hortaris, vt *Eraſmum*

rasmum tuo nomine *Augustam* inuitem, non tam diligenti opera, quam lubenti animo facerem, nisi iam *Basileiam* X. Kls. Octobr. rediuisset. Aderat, assiduus huius itineris comes, *Beatus* noster *Rhenanus*; is, dum *Constantiae* essent, omnem operam impendit, vt *Erasmum* ad videndam *Augustam* pelliceret, sed nihil effecit. Laborat lithiasi *Erasmus*, & iam *Constantiam* venisse nonnihil ob morbi molestiam dolebat: nihilque adeo, vt ad *Basileam* reditum, meditabatur, vbi fumaria haberet sibi accommodatissima; nam hypocausta abhorret maxime, ipsis non assuetus. Dum ab Episcopo nostro inuitatus esset ad prandium, & fumarium in palatio non reperisset, molestissime tulit, & poenituit morem gessisse Episcopo. Hospitem autem habuit pro animi sui sententia iucundissimum & liberalissimum D. *Ioannem Botzhemum*, Canonicum Constantiensem, studiosorum Patronum, omnium horarum virum; cuius praecipue gratia *Constantiam* venerat. In istius aedibus pauci admodum familiarissime vtebamur *Erasmo*, quibuscum vicissim etiam ipse vnice delectabatur. Vale feliciter, pridie Kls. Octobr. M. D. XXII.

XXXV.

Michael Hummelbergius
Conrado Adelmanno Canonico Augustano S. S.

Salutem in Christo Iesu, vt vero, ita vnico saluatore nostro! Luctuosa epistola tua, *Conrade*! qua te piissimo fratre *Bernardo*, & me candidissimo amico orbatum scripsisti, multo moerore me adobruit. Non quia fratris tui, viri

vndecunque christiani & euangelici, preciosam in conspectu Domini mortem lugeam; sed quod nostrum casum, quo tantis deliciis nos orbati sumus, dolenter feram. Miselli nos! qui multa nobis in hoc saeculo pollicemur, & ne tantillum quidem possumus, ut ad nictum oculi a nobis μοῖραν abigamus; sed illa imperante actutum, velimus nolimus, sit eundum. Nunquid putas nos κατὰ τὸ σῶμα aliud esse πλὴν εἴδωλα, ἢ κόνιν, ἢ κούφην σκίαν, ὥσπερ ζῶμεν. Vere dixit ille: *Omnes una manet mors.* Et: *Calcanda semel via lethi, serius ocius.* Non eruditio, non pietas moratur indomitam mortem; si mors est, & non potius vita, qua non tam corpore morimur, quam spiritu renascimur: & qua christianus spiritus suo carcere egressus, & e tetro squallore liberatus in lucida abit regna; quo & *Bernardum* nostrum abiisse, habeo persuasissimum certissimumque. Nam innocentia, pietate, atque fide in Christum adeo praemunitum fuisse scio, vt hoc ipso praesidio omnia aduersa, peccatum, mortem, & totam tartaream carnificinam strenue deuicerit, ac triumpharit. Quare non mortem obiisse, sed, ea deuicta, vitam illam veram & aeternam adiisse existimandus est. Dixit enim, qui mentiri non potest, Christus: *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet, & omnis, qui uiuit, & credit in me, non morietur in aeternum.* Hoc ipsum verbum iam te soletur, vt, quum carissimum fratrem tuum vere nunc cum Christo viuere scias, non tristeris vllo modo, quin gaudeas potius, ei vitam esse Christum, & mortem lucrum. Tantum nos, qui adhuc in carne sumus, enitamur, vt dignum est Euangelio Christi, conuersemur; vt, cum

vene-

venerit Dominus, nos ad ſuum tribunal euocaturus, ſimus parati, & charitatis operibus, quibus fidem noſtram commonſtremus, adornati. Praeterea, mi *Conrade!* nihil abs te peto, niſi vt me, quod facis, mutuiter ames: & ſubinde tuis literis, & nonnunquam nouis libellis, ſiqui erunt, oblectes. Ego viciſſim dabo operam, vt nihil in me deſideres, quod ſit veri amici munus. Vale feliciter. Rauenſpurgi XIII. Kls. Ianuarii M. D. XXIV.

XXXVI.

Michael Hummelbergius Rauenſpurgenſ. Chuonrado Peutingero Auguſtano S. S.

Bernardi Adelmanni viri integerrimi obitum magno dolore abs te, & *Conrado* accepi. Quam ille me amarit, crebrae literae omnis humanitatis pleniſſimae indicant: multi etiam libelli dono miſſi eius erga me beneficentiam obſeruantiamque cumprimis teſtantur. Iure igitur tam carum amicum, mihi ſublatum, doleo: cuius nunc tanto maiore deſiderio teneor, quanto in me amando & obſeruando fuit diligentior; ſed haec nobis lata eſt lex: Naſcimur, vt moriamur; morimur, vt renaſcamur. Omnia in Domino facimus, quiqui voluntatem Domini & agnoſcimus, & lubenti animo facimus. Porro *Epitaphium*, quod amico nuper vita functo hodie feci, *Conradus Adelmannus*, ſi voles, pellegendum exhibebit. Id arbitror tibi placiturum: Oblectaris enim his amice, quae ad antiquitatis imitationem ſunt effícta. Volui cumprimis, iſthoc extremo in *Bernardum* officio meo, *Conradum* etiam mihi demerere, & obligare,

in cuius gratiam & consolationem non minus, quam fratris laudem & gloriam scripsi. Deus Opt. Max. te, & coniugem tuam, atque sobolem incolumem perpetuo seruet in fide & charitate Dei & Domini nostri Iesu Christi. Plurimam salutem tibi ascribere me iussit parens meus, tui amantissimus. Vale feliciter. Rauenspurgi XII. Kls. Februarias. M. D. XXIV.

XXXVII.

Michael Hummelbergius R Conrado Adelmanno Can. Aug. S. S.

Si quid mearum in scriniis *Bernardi* fratris repertum fuerit, rogo, laceres, vel exuras, ne in aliorum manus deueniat. Iusto liberius & acrius nonnunquam cum amicis ludo, quod maleuoli viri litigatores facile possent calumniari. Non autem meas ineptias tanti facio, vt putem eas, tanquam cedro dignas, a fratre tuo conseruatas; sed solet hoc candidus amor facere, vt amici aliquando σχεδίασμα, & rudissime scriptum, velut margaritum quoddam recondat literario thesauro. Praeterea scripsi fratri tuo *Epitaphium*, non tam in eius gloriam, quam gratiam & consolationem tuam; quo me rem tibi gratissimam fecisse ratus sum. Atque hoc postremum meum in *Bernardum* officium est, non quod eius apud me peritura sit memoria, sed quod in posterum commemoratio intermittenda erit. Vale.

Bernardo Adelmanno Epitaphium posui.

Deo viuenti sacr.

Bernardo Adelmanno

Canonico Augustensis Ecclesiae

Nob.

Nob. Familiae ab Adelmansfelden
Immortali Decori.
Viro non minus ingenio & eruditione
Quam innocentia & vitae sanctitate claro.
Insigni praeterea pietate ac fide
Deo longe carissimo.
Michael Hummelbergius Rauenspurgensis
Amico incomparabili & bene merenti posuit,
Qui vixit ann. Mens. D.
Obiit diem suum, per Christum in
Coelum euocatus
Ianuarii
Anno Salutis M. D. XXIV.
Imp. Caes. Carolo V. P. F. Aug.
&
Clemente VIII. Pont. Max.
Florentibus.
Debetur terrae corpus, sed spiritus astris,
Hinc fato raptus soluis vtrique suum.
Rauenspurgi XII. Kls. Februarias.

XXXVIII.

Beatus Rhenanus
Michaeli Hummelbergio suo S. P. D.

Tu vero *Michael*! quid agis? Vbi thorax aeneus, vbi lancea, vbi parma, vbi gladius? vt in acie gloriose stare possis aduersus Nobiles & Principes. An solus cessas? an non de illorum es numero, qui Euangelium armis vindicandum censent? Equidem hic sacerdotes rustica-

ſticanarum cohortium & duces fuere , & ſigniferi ; queruntur paſſim de contemptu , qui ſacris ſunt initiati ; an vero non magnus honor , geſtandi vexilli dignitatem concedi ſacerdotibus ? Deſinant igitur nobis queri poſthac , nullam ſui prorſus haberi rationem , non ſecus ac olim *Megarenſium* , vt eſt in prouerbio. Nimium illi , nimium (de malis loquor) potuerunt , & quibusdam in locis adhuc poſſunt , digni , qui in longinquas ac deſertas inſulas deportentur ; quando nil aliud ſpirant , quam ſeditionem , praedam , & odium in eos , qui praeſunt. Sed abſit , mi *Michael !* ut illius ſceleratiſſimae factionis vnum te putem ; qui norim multorum annorum experientia ex contubernio , quam vir integer ſis , & amans honeſti. Fauiſti hactenus non nihil *Luthero* , vt fecerunt boni omnes , videntes mundum rectis viuendi regulis collapſis penitus , emendatione opus habere , correctioneque multarum rerum , de quibus Vir ille fortaſſis nimium acribus libellis populum monuit. Verum poſtquam res ad rabiem , & moleſtas ac inſanas altercationes venit , ſcio te , qua es prudentia , tuum tibi iudicium ſeruaſſe , quo plurimum polles propter indefeſſam operam , quam diu noctuque euoluendis veterum monumentis impendis : quo minus opus eſt , vt te moneam , quam caute & circumſpecte ſit agendum in hac miſera rerum turbatione. Video quosdam nimium pertinaces etiam in leuiſſimis rebus. Sic *S.* noſter maluit nuper dimittere ludum, quam templum circumire dominicis diebus , qui ritus tamen antiquiſſimus eſt , referens nobis Chriſtum , liberatis patribus , ab inferis reducem. Mirum eſt , vnde quibusdam tanta pertinacia inoleſcat.

lescat. Desidero nunc in plurimis prudentiam, & pridem desideraui: sed illi spiritum sequendum dictitabant, humanam prudentiam execrantes. Inter eos, qui sub Euangelici nominis praetextu impostores agunt, primas tenuit *Io. Iacobus Schutz*, qui *Sletstadiensi* senatu pessimo calumniandi genere insidiatus est. Nec arbitror te eius tragoediae ἀνήκοον. Mitto *Inscriptionem*, quid gestum sit, edocentem: Mittes vnam *Peutingero*, & vnam *Io. Auentino* Chronicario Ducum *Bauariae*; nam cupio, rem illis esse notam. Saluta Doctorem *Gabrielem* fratrem tuum, & Doctorem *Ioachimum* viros eruditissimos. Conuenit me superiori anno quidam adolescens literatus (vt videbatur) *Argentorati*, asserens, tuas ad me literas se *Basileae* reliquisse apud *Frobenium*; at hic postea negauit, se accepisse quidquam. Quare nihil ad illas respondere potui. Veteres Medicos *de herbis* scribentes, inter quos est *Antonius Musa* (si titulo credere libet) vidi tantum semel in monasterio *Medianensi*. Quod si haberem, libenter fratri tuo *Gabrieli* communicarem, qui id a me literis contendit: monebis illum de hac re. Bene vale, mi *Michael*! Basileae, Calendis Septembribus, Ann. M. D. XXV.

XXXIX.

Michael Hummelbergius Rauenspurgens.
Conrado Adelmanno ab Adelmansfelden Sal.

Literas tuas, XII. Augusti scriptas, XXIX. eiusdem recepi. Non alia meae cessationis causa est, quam tuae: deinceps forte per publicam tranquillitatem, & frequentiores tabelliones licebit saepius scribere. Suppresso etenim

rusti-

rusticorum furore & seruili isto tumultu, & incendio extincto, apertae erunt publicae viae, & libera tutaque nunciorum peregrinatio. Atque vtinam faxit Deus, *faciens pacem & creans malum* (quod ille dixit) vt nobis & communi patriae prospera sit haec de *Cyclopica* turba victoria; & erit profecto, si proceres vtantur victoria: sin vero abutantur, timendum, ne *Cadmea* (quod dicitur) futura sit. Agnoscit iam, opinor, suam temeritatem & stultitiam rustica progenies, licet sero, post acceptam cladem: & iuste imperata facere non recusat. Vtinam & Racematores quidam, qui in deuorandis pauperum sudoribus nihil reliqui faciunt, suam tyrannidem & auaritiam simul agnoscerent! nam multi ex illorum numero sua rapacitate ansam dedisse videntur huic rebellioni & tumultui, vt vtrinque iniustitia & iniquitas meruerit Dei flagellum. Poenas luerunt rustici: proceres videant, non tantum vt non saeuiant crudeles in subiectos, sed etiam vt iniqua onera & iniustas exactiones, si quae sunt, tollant, & non reducant populum in *Aegyptum*, equitatus numero subleuati; ne pariter incidant in manus Domini, qui, cum surrexerit ad concutiendum terram, non minus magnum & potentem, quam paruum & inopem perdere potest. Quod de *Erasmo* petis, absoluit (vt audio) insignem librum, quem *Linguam* inscripsit: hunc neque vidi, neque compertum habeo, typis excusus sit, nec ne. *Parisienses* theologi *Erasmum* editis libellis feruntur variis conuiciis conspuisse; quibus nunc respondet, & ostendit, quod non sit edentulus ipse. Si quibus apud vos eius Viri vilescit autoritas, ii non intelligunt, quantum suis scriptis profuerit *Germaniae*.

Multi

Multi eiusmodi sunt ingenio, vt, si eruditissimos optimosque viros aliqua nota vel efficta contaminarint, inde famam aucupari,& clarescere velint, nobilesque fieri in bonorum oblocutione. Certe nouit *Erasmus*, vir omnium saeculorum memoria dignus, quid agat, quid scribat; tametsi non omnibus placeat, quibus ad contentiones & pugnas semper ferox est animus: nouit (inquam) cur omnia faciat, & rationem factorum reddere potest non despicabilem. Quid vero consilii animo gerat, non cuiusuis est coniicere. Bonorum virorum est, bene sentire de isthoc homine, cuius praecipuas animi dotes tum agnoscemus, cum amiserimus; si amitti potest, qui etiam post sua fata animi sui imagine, hoc est: luculentissimis scriptis inter studiosos perpetuo versabitur. Si quae tibi vel *Martini* vel *Philippi* ad bonae memoriae fratrem tuum sunt epistolae (vt videtur) me earum participem fieri velim, si non autographorum, saltem exemplorum earundem. Si quid visum fuerit, & a te desideratum, vicissim ego te istius ad me literarum participem facere non grauabor: idque ita, vt vtrobique alienis careant lectoribus, si quid forte in illis inesset, quod publicum fieri non oporteret, deberetue. Quidquid igitur eius rei miseris, bona fide recipies, si vero nihil ob iustam *causam* aliquam, tibi non succensebo. Quod apud *Heluetios* quosdam & superiores *Rhetos* se rebaptizant nonnulli, pura puta insania est, & *Picardius* error, quem gloriosis quibusdam rerum nouatoribus, omnia Satana autore turbantibus, debemus. Si *Abrahami* semini administrata circumcisio, Euangelii signum, efficax fuit: quid prohibet puerorum

rorum baptiſmum efficacem eſſe, vt adultos denuo oporteat rebaptizare? Poteſt certe Spiritus ſanctus etiam in eo eſſe, qui necdum per aetatem ratione vti poteſt: vt in nonnullis fuiſſe Scriptura teſtatur. Vale in Chriſto Ieſu ſemper feliciſſime. Rauenſpurgi, pridie Nonas Septembris. A. Domini M. D. XXV.

X L.

Michael Hummelbergius Chuonrado Peutingero S. S.

Schedas hiſce litteris meis incluſas *Rhenanus* ad me miſit, vt alteram tibi, alteram *Auentino Bauarico chronicario* transmitterem. Ego tibi ambas mitto, vt alteram cures *Auentino* reddendam. Forte cupit *Rhenanus* pro ſuo erga patriam amore & reuerentia id facinus hiſtoriis demandari, vt vel poſteris clareſcat innocentia ſuorum ciuium, & abſtergatur falſo inuſta proditionis nota. Cuique enim a calumnia ſua patria tutanda eſt. Vale feliciter. Ex Vberlingen, menſe Septembri. M. D. XXV.

X L I.

Michael Hummelbergius
Beato Rhenano ſuo ſalutem.

Celticum ὁδοιπορικὸν *) omnino non eſt, quod Εἰρηνικὸς allegat. Vnica tabella eſt membranea longitudinis XVIII. foliorum papyri. Ciuitates, flumina, montes & itinera non modo ſcriptura ſignata, ſed etiam pictura habet notata. Superioribus annis, praeſente diuo *Maximiliano*, Orator Regis Gallorum pro hac tabella *Peutingero*

gero obtulerat LX. Coronatos ; cui ille : Placerent quidem coronati nummi , ſed vetuſtatis hoc monumentum magis placet , quam vlla pecunia , qua vel aeſtimari poſſit vel vendi. Collaudauit Caeſar & reſponſum , & *Peutingerum* munere donauit caeſareo. Vide nunc , mi *Beate* , quum ille tam carum habet monumentum hocce , num ſperes me impetraturum. Profecto mihi res difficilis apparet. Non lubens illud viarum periculis committet ; qua etiam cauſa , ſi vel ipſe impetrauero , non licebit tibi tam longe diſſito transmittere. Caeterum curabo modis omnibus , vt impetrem , impetratum longius non mittam , ne fidem meam labefactem ; ſed accurate transſcribere , transpingereque enitar , nam videor artem noſſe , qua id ita examuſſim efficiam , vt ne latum quidem pilum a linea aberrem : quod vt factum fuerit , tum eius exempli per me particeps fieri poteris. Cur autem tu non inuiſis *Auguſtam* , vt antiquitates illorum & *Peutingerum* ipſum tui adeo amantem videas , & de facie cognoſcas ; Eſſes profecto ei omnium gratiſſimus hoſpes , nam te ſingulariter amat , & veneratur. Nihil in intimis penetralibus & reconditiſſimis χειμηλίοις habet , quod tibi occuleret , vir adeo humanus. Eſt & vrbs ipſa viſu admodum digna , non tam ob praeclaras aedificiorum ſtructuras , quam inſignes eruditione , & pietate viros, & celebratiſſimas Bibliothecas ; quae omnia non mediocri voluptate te , ſcio , afficerent. Quae de *Io. Auentino* ſcripſiſti , placuerunt ; facile perſuadeor , eius chronographicas lucubrationes exactiſſimas & abſolutiſſimas eſſe. Nam harum rerum ipſe ſemper ſtudioſiſſimus fuit ſectator , etiam multis retro

annis, dum *Lutetiae Parisiorum* philosophiae incumberet; vt optima, & eruditissima quaeque ab eo expectanda censeam. Cur autem nos *Rhaetos* (vt vocas) puderet, nihil veterum locorum posse ostendere; quum vetustis illis temporibus oppida ista, quae in multo sunt numero, nondum extiterint, paucis demptis. Nihil apud nos veram vetustatem refert, praeterquam informes aliquot turres, rudi & impolito silice extructae, quae antiquissima *Rhaetorum* monumenta arbitror. Has autem in pagis vicinis adhuc videre est. Praeterea vbi nominum locorum facta est mutatio, nec scriptis vspiam demandata, quis certo nouit, cui loco quod olim nomen fuerit. Diuinare hic potius licet, quam certo aliquid scire: fallaces sunt coniecturae nisi propinqua nomini nouorum accesserit allusio.... *Cetera desiderantur.*

*) Ne mireris, Lector! *Hummelbergium* in his *Epistolis* suis tam crebro graecis tum vocibus tum sententiis vti; quemadmodum enim is linguae huius amantissimus, sic & doctissimus fuit: adeo vt eius *Rudimenta*, scriptis consignanda, duxerit: quae an ipse ediderit, an primum post eius obitum vulgata sint, haud satis liquido scio. Anno certe 1534. *Michaelis* HVMMELBERGII *Rauenspurgensis*, *Epitomen Grammaticae graecae, cum tabula Verborum anomalorum*, excusam esse *Basileae*, *apud Heruagium. in* 8. *chartis.* 8. tradit *Conrad. Gesnerus* in *Bibl. vniuers. Tom. II. p.* 512.

Si quaedam, occurrunt in praemissis Epistolis Lector! quae tibi aut dure, aut perperam, aut male scripta esse videantur, pro tua eruditione & aequitate aut bene interpretare, aut corrige, aut reiice omnino.

CON-

CONRADI PEVTINGERI
EPISTOLAE
AD VITVM BILDIVM
COENOBITAM SAN - VDALRICANVM
AVGVSTAE.

I.

Chariſſime Vite! Mitto tibi Dictionarium *Alberici Roſarii* : Nomiſma*) *Herculis*; & Bullam *Leonis* Papae...... Vale.

Tuus Peutinger.

*) *Eſt hoc Numiſma, de quo* Conradus Peutinger *ſcripſit* Commentationem, *a me Cap. II.* Vitae *Eius* §.*IX. No. XII. memoratam; id quod patet ex Reſponſione* Viti Bildii, *anno* 1514. *ſcripta.*

II.

Ego, ad Te omnia quae miſeram, non petiui. Volui *Nomiſma*, & quid de illo ſentires, vt reſcriberem Caeſ. Maieſtati. Et mentem meam ab exemplo tibi transmitto. Tuum erit, vt rogo, ſingula vel bene proſpicere, vel ſi non placent deſpicere, vel confodire velis. Expunge & adde; ſingula remittas cito, & ſi quid ex me volueris, iube....., Vale & reſcribe, iterum rogo.

Tuus Peutinger.

III.

S. Nurnbergae cum obtulerit *Schonerius* globum: nec ad me de exoluenda pecunia verbum fecit, sed solum quod ordinares eum, qui acceptaret; attamen consilii mei esset, vt ad eum tuas exhortatorias litteras dares: quae in eum contuleris, admoneres: simul quod sponte promiserit. Si bonus est, fidem adseruabit; sin lingua varius, saltem hominem, cui postea fidendum minus, cognosces. Dato ergo ad hunc litteras, & serio plenas. Interim vale. Ego, valetudine pedis aduersa restitutus, iam capitis dolore laboro. Ita misera hominum conditio! Tu denuo vale *).

Tuus Peutinger.

*) *Scriptum fuit hoc Epistolium anno* 1523.

IV.

Charissimo D. Vito Bild, Amico praecipuo.

Salue in Christo, *Vite* charissime! Quod philosophi tui *Ioannis Gereonis* super hoc anno vigesimo quarto supra M. D. *iudicium* ad me misisti, tibi modo ago, & in posterum habebo gratias. Congratulor vtcunque eruditioni optimae, is tuus *Gereon* quisquis est; Non fucate, non temerarie, non friuole, non nugaciter, vt plerisque; sed potius ita scripsit, vt taxari atque reprehendi merito non possit. Quoniam autem Coniunctionum illarum de anno salutis LXXDC. recordatus est, ad historiarum plerosque Scriptores me compulit; qui tamen tempore illo, de inundatione aliqua facta, dicunt nihil; quod & hoc mense Februario plane cognouimus. Mathematicos istos indoctos! non omnes, sed quosdam male supputantes audaculos, qui vulgo in-

indocto nugis suis non solum timorem incusserunt; sed & diuinae potestati laqueos, licet falso, ponere attentarunt. Scriptum est: *Non est vestrum nosse tempora, & articulos temporum, quos Pater in sua constituit potestate.* Sed de praeteritis agamus. Clarissimus *Ioannes Colerius* Praepositns Curiensis, vt solet mecum esse, rerum antiquarum studiosissimus his proximis diebus Indicem quemdam, charta pergamena scriptum, de ritibus orandi cantandique ecclesiasticis, vetustum admodum mihi commodato dedit: a casu de *Rogationum* diebus hunc legi, vbi multa de septiformi Litania; num *Gregorius*, an *Mamerius* has prius ediderit? Sed referam pauca, quae ibi comperi. Siquidem anno XV. *Zenonis* Caesaris imperii, quo *Mamerius* episcopus praedictus orationum *Rogationes* instituit, vsque ad nonum *Mauritii* imperatoris annum, quo diluuium magnum in finibus *Venetiarum* & *Liguriae*, totiusque *Italiae* factum est, quale post *Noë* tempus non creditur fuisse: & subsecuta est è vestigio pestis inguinarum, qua cum *Romae* populus pene deleretur, *Gregorius* adhuc Leuita Litaniam maiorem indixit, *Pelagio* Papa peste hac extincto. *Matthaeus Palmerius* Florentinus in *Supplemento ad Eusebii Chronicon* hanc inundationem non in nonum, sed in septimum *Mauritii* annum (qui fuit salutis octuagesimus sextus supra D. ad Kalendas Octobris reiecit. *Paulus Warnefrid* Longobardus, Diaconus *Foroiuliensis*, huiusue maxime inundationis in *Additionibus* suis ad *Eutropium* meminit; quam non ad Kalendas Octobris, sed ad XVI. Kalendas Nouembris refert. *Ioannes Platina* in *Pelagio* II. Pont. Max. hanc non praeteriit. Quare rogo, si commode poteris, pro solita tua

eruditione supraſcriptum octuageſimum ſextum annum, & eius tunc caeli figuram ſiue thema, praecipue in menſe Octobri, obſerues, ac me certiorem redde, num tunc aſtra inundationem praeſcriptam ſignificarint: & an non Coniunctio illa planetarum maxima anni ſeptuageſimi, cuius *Gereon* tuus mentionem facit, inundationem aliquam perfecerit, vel ne? *Podagrae Birckemeri* noſtri Exemplum ex *Nurnberga* petam. Vale, & me tuum diiudicato. Dictaueram has litteras vltima Februarii, ſed poſtea negotiis pene obrutus mittere neglexi. *Carolus* filius infans has tibi reddere voluit, ac ſaepius rogauit, vt darem: ſibi iniunxi, vt tibi peccata ſua confiteretur; quem exhortare, vt faciat: ac puerum infantem ſincere, vt decet, admoneas, ac cogas, vt referat, quae coram Rmo Cardinali *Campegio*, etiam armatus, latine dixerit. Caeterum me Rdo D. Abbati commendes. Ex aedibus noſtris. Et, cum hoc ſcriberem, conuenit me Venetus quidam plane eruditus, qui Doctorem Patauinum Theologum Minoritam, a Senatu Venetorum miſſum *Nurnbergam*, aſſeruit; quem poſt horam tertiam in hoſpitio conueniam. Tu vale &c. & nos valere, Deum deprecare. XX. Martii, ſalutis anno M. D. XXIV.

Tuus Chunradus Peutinger Auguſtanus, Iuris V. Doctor.

V.

Salutem, praeſtantiſſime *Vite*! Singulari amore filius meus *Carolus* te proſequitur, quod & magis auget amorem, ſingularis tua humanitas & beniuolentia tua erga nos. Quod gratularis

laris mihi de nepote nato, tibi & gratias ago & referam. Verum vt horam natiuitatis eius plane perſpicias, natus eſt die XVI. Martii ante horam duodecimam meridianam. Quare te rogo, aſtra ipſa calcules, & me de his certiorem facias. Si quid vltra a me petieris, me tui obligatum proſpicito, ac cura vt ſaltem vocatione mea in prandio tempore tibi congruo mecum eſſe poſſis. Vale.

Tuus Peutinger.

Prandium tuum in die Paraſceues non, credo, lautum erit: ſi commode poteris, me conuenias; donati quidem ſunt mihi piſces optimi. *)

*) *Scriptum fuit hoc Epiſtolium anno* 1525. *vel initio anni* 1526.

VI.

Chuonradus Vito ſuo ſalutem. Apud *Plutarchum* in *Vita M. Marcelli* pleraque de *Archimede*, *Archita*, & *Eudoxa* de *Geometria* referuntur, & praecipue de machinis quibusdam & inſtrumentis, quibus magnum quiddam puſillis viribus moueri poſſit. Verum haec non plane intelligo; rogo, *Plutarchum* eo loci legas, ac me doceas, quid ſint illae machinae & inſtrumenta haec. Tu vale, & curato, vt aliquando confabulemur. *)

Tuus Peutinger.

*) *Hoc Epiſtolium ſcriptum fuit anno* 1528.

Ex fcheda autographa Bibliothecae Collegii Augustani, quondam Societatis Iesu.

Chuonradus Peutinger Xyſto Betuleio Amico & Municipi ſuo Salutem.

Legi heri Epiſtolam nuncupatoriam, quam *Eraſmus R.* ſuper *Paraphraſi* ſua *in Marci Euangelium* ad Francorum regem ſcripſit; vbi in monendo chriſtianos Principes, ne bella inter ſe concitent, inter cetera refert ex *Tripartita Hiſtoria*, monachum quendam, *Telemachum* nomine, ex Oriente *Romam* veniſſe, ac in theatro ad duos armatos (quorum vterque in alterius necem tenderet) proſilientem, occaſionem Imp. Caeſ. *Honorio* Aug. praebuiſſe, vt ludum hunc gladiatorium cruentum aboleuerit. Ego hiſtoriam hanc, curſim (vt fatear) legendo pertranſiui, nec *Telemachum* hunc, nec etiam *Honorii* ſuper hac re Conſtitutionem compertam habui; verum in Codice meo Iuſtinianeo *Libr. XI. tit. de Gladiator.* legem hanc obſeruamus, & eſt Imp. Caeſ. *Conſtantini* Auguſti: „ Cruenta „ ſpectacula in otio ciuili & domeſtica quiete non „ placent; quapropter omnino, gladiatores eſ- „ ſe, prohibemus. „ Hinc puto, in *Hiſtoria* eadem *Libr. I. Cap. IX.* ſub *Conſtantino* id actum fuiſſe; ita enim ibi ſcribitur: „ Apud Roma- „ nos autem tunc primum monomachorum ſpe- „ ctacula ſunt remota. „ Et *Libr. II. Cap. XVIII.* denuo habentur haec verba. „ Poſt haec igitur „ Imperator, curam maximam Chriſtianorum „ habens, Paganorum ſuperſtitiones auerſaba- „ tur, remouitque μονομαχίας. „ Aliter vero hac-

hac in *Hiſtoria* non legi. An igitur *Eraſmus* errauerit, vel ne, non plane intelligo; licet *Otho* Friſigienſis Epiſcopus in *Hiſtoria* ſua *Libr. IV. Cap. XIX.* etiam ita ſcribat: „ Anno Domini
„ CCCXCIX. *Honorius* Occidentis, *Arcadius* Ori-
„ entis, XLII. ab Auguſto, poſt mortem pa-
„ tris, Imperium ſortiuntur, *Damaſo* adhuc
„ Romae, *Theophilo* Alexandriae, Hieroſoly-
„ mis *Ioanne*, *Flauiano* Antiochiae, *Nectario*
„ Conſtantinopoli ſedentibus. His diebus qui-
„ dam monachus *Dirimachius* ab Oriente *Romam*
„ veniens, cum gladiatorum ludum, vel poti-
„ us (Religionis intuitu) inſaniam ſedare vel-
„ let, a circumſtantibus lapidibus obrutus ac
„ necatus eſt: quo comperto *Honorius* eum qui-
„ dem inter Martyres numerandum cenſuit, ne-
„ phandum vero ſpectaculum huiusmodi de cauſ-
„ ſa amputauit. „ *Othonem Andr. Alciatus* ſic ſcribentem in *Iuris Parerg. Libro II. Cap. XLV.* recitauit: & nihilominus ſuperiori *Libr. I. Cap. XXII.* ita ſcribit: „ Deinde *Conſtantini* lege cru-
„ enta ſpectacula ſublata ſunt, & prohibitum,
„ ne quis gladiatores habeat. „ Vbi vero *Eraſmus* hoc, quod refert ex *Hiſtoria Tripartita*, congeſſerit, me latet. Quare te rogo, ſi in hac *Hiſtoria* per te ipſum, vel etiam per D. *Bonifacium* hoc, quod Eraſmus ſcribit, compertum habere potueris, me certiorem facito. Non facile *Eraſmum* errare puto; attamen ea, quae ſupra adnotaui, ipſi contradicere videntur. Tu vale, & aliquando me conuenire velis: iterum vale. Vides me, ſenem, adhuc in otio litterario verſari; & denuo velim, vt hanc ſchedulam mihi remittas.

Tuus *Chuonradus Peutinger* &c.

S. in D°

Ignoſcat nobis , Tua Praeſtantia ! quod tardius reſpondemus. Impediuit me Comoediae negotium, quo miris modis diſtrahor. Contuli tamen cum D. *Bonifacio*, & inquiſiuimus diligenter. Sed quid nos inueniemus aliis ſtudiis occupati, & ab hiſtoriarum lectione fere alieni, quod tuam diligentem ſedulitatem, huic rei vnice deditam & vacantem, ſubterfugerit ? Suſpicamur, *Eraſmum* (id quod *Gellius* & *Politianus* in *Cicerone* notarunt) memoria lapſum. Solent enim doctiſſimi Viri aliquoties ſecurius prae magna eorum ſcientia adobrui erroribus. Caeterum Tuae Praeſtantiae noſtram mancipamus operam, quacunque in re dabitur. Vale Mecaenas clariſſime !

T. Dignitatis
deditiſſimi *Bonifacius W.*
& *X. Betuleius.*

Communicata eſt a ſaepiſſime laudato *A. F.* OEFELIO haec *Bonifacii* AMERBACHII ad *Noſtrum* Epiſtola.

Salutem in Chriſto Seruatore noſtro. Quod etiamnum recte valet Excellentia tua, Clariſſime Doctor ! eſt, quod vehementer gaudeam : oraboque Dominum, vt haec valetudo tibi, optime de litteris merito, ſit perpetua. Liber Hebraeus, quem heri ad me miſiſti, a *Chaim* (ſi quisquam alius) vero Iſraelita partim *Vlmae*, partim *hic* excuſus eſt : nec certum authorem prae-

praefert. Videtur enim non ab vno aliquo, sed pluribus, idque diuersis temporibus, consarcinatus. Continet autem orationes Iudaeorum plane pias & innocuas, vt puta ex Scripturis desumptas, quas singulis Festis & Neomeniis, adeoque per totum anni curriculum orare solent. Quare librum hunc haud indignum esse duxerim, quo Bibliotheca tua, optimis alioqui omnium tum linguarum, tum professionum auctoribus instructa, exornetur. Bene valeat Excellentia tua cum vxore & liberis, quos saluos esse cupio, meque dignationi tuae, ceu veteri patrono & amico, supplex commendo

Excellentiae tuae deditus

Bonifacius.

Ex Autographo (annexo *Macrobii Operibus. Coloniae.* 1521.) in Bibliotheca Collegii Augustani quondam Societatis Iesu.

An Hansen Haller Goldschmid, mein guten Freundt.

Lieber *Haller !* besonders guter Freund ! Ich hab zvv mermalen bedacht, so ir zvv mir kommen, euch einer Kunst halber, Gold belangent, anzureden; ist aber allvvegen auf Er. Ankunft in vergessen gestoelt vvorden; sonder angestern hab ich mit D. *Adolff Occo*, meinem lieben Herren und Freunde auch dauon geredt, und hat die Gestalt. *Macrobius* schreibt und anzeigt, das nit alle Hytze ainer gelegenheit und qualitet, sonder in dem unterschidlich, das

aine

aine gros, die ander klain ſein, alſo gañz vviderVvertig gelegenheit und qualitet auch, kein veraynigung mit ainander haben; als das durch offenbar ſachen mag bevviſen vverden: vvie dann die Goldſchmid das *Gold* zu *formieren* kein ander feur dan von Helm *) gebrauchen; dievveil anderding die ſelb materi zu beraidten und zu producieren ungeſchickt zu ſeyn angeſoehen vverden, die arzt in bereitung und kochen der arzneyen mer auſ vveinreben, abſchnizen, oder ſchnitlingen, vveder aus andere, ihr feur anſchicken. Die ſo die gleſer ſchmelzen und beſtercken, haben fleiſ ihre feur und dennſelben zu ſoeyſe von ainem bavvm, genant Mirica, zu beſuechen. item die Hize vom ainem Oelbaum, vvievvoll ſie den leibern und coerpern heylſam ſein, doch die dien Bedern auch die marbelſtein, die an ihren zuſammen fuegungen aufzuloeſen, ſchädlich; alſo ſich nit zu vervvundern ob von vvegen die aygenſchaft, die einem yedem in ſunder an iſt, das die Hize der ſunnen thört, und die Hize des Mons feuchtet &c. ſo ſchreibt auch der haylig ſant *Gregorius*, dem gerechten vvird der ſünder mit boeſheit zugefuegt, vvie im oſen dem gold die *halm* durch das feuer zugethon, damit und dieeil die halm brinnen, das gold gereinigt und purgiert vverde. Iſt nun mein frag, erſtlich ob ir von ſolchen Goldfeur ye gehoert habent, vvaſ auch ſolch *halm*, ob die vom ſtro oder ainem andern gevvechſ, ob auch moeglich ſein ſolt, durch bemeldt ſolch fevvr das gold abzutreiben oder geſchmeidig zu machen oder in andervveg zu reinigen, dann die vvort. *gold formyeren* und *producieren*, alſ vvie die *gold bervvren* und *anſeen*, ich in diſem

fall

fall nit lauter verſtee. Damit Gott der herr unſ alle in ſein Gnade befolhen haben vvoelle.

Chuonrat Peutinger Doctor &c. &c.
mit meiner Hande unterſchriben.

*) Legendum : *Hälmen.*

NB. Verba Macrobii , quae huius Epiſtolae anſam dederunt, inueniuntur *Saturnaliorum* Eius *Libr. VII. Cap. XVI. Gregorii* verba habentur *Moralium* Eius *Libr. XX. Cap. XXX.*

INSCRIPTIONES
CHVONRADI PEVTINGERI.

* * *

I.

Sigismundo Goſſenbrot Patricio Auguſtenſi, omnibus Patriae ſuae honoribus integerrime functo , qui vixit Ann. LVII. M. X. D. IV. Obiit Ann. Chriſti MD. pridie idus Septembr. Anna Roechlingerin Coniugi benemerenti fecit , & ſibi , quae vixit Ann. L... M... D... obiit Ann. Chriſti M. D.... *)

*) Exhibet hoc *Epitaphium* , partibus omnibus expletum , *Daniel Praſchius* inter *Epitaphia Auguſtana T. I. p.* 42. nam *Conradus* noſter illud ſcripſit *Sigismundo* quidem mortuo , vxore autem illius adhuc *ſuperſtite.* Similiter Epitaphium *Vdalrici Schvvarz* , quod *Praſchius l. c. p.* 43. proponit , *Noſtrum* habet autho-

authorem, vti liquet ex *A. iF.* OEFELII *Peutingerianis.*

II.

Diuae Mariae Virg. Ambrosius Iung Augustens. Medicinae Doctor Voti compos DD. Ann. MDVI. VIII. Kls Nouemb.

III.

Diuae Mariae Virg. Ambrosius Iung Augustens. Medicin. Doct. Quod se precibus compotem fecisset DD. M. D. VI. VIII. Kls. Nouemb.

IV.

Iesu Christo Sacrum
D. Maximilianus Ro. Caesar Augustus
ad III. idus Iulias a fundamentis
lapidem hunc primum posuit
Anno Iubileo M. CCCCC **).

**) *Sic lapidem fundamentalem in Choro S. Vdalrici Augustae inscribi optauit.*

V.

Anno Humanae Salutis MDVI. VIII. Kls Iunias Dnn. Iulio II. Pontif. Maxim. & Imp. Caes. Maximiliano Aug. Inuicto Christianae Reipub. & Heinrico Episcopo Ecclesiae Augustensi praesidentibus Conradus Morlin Abbas turris huius lapidem primum a fundamentis posuit. ***)

***) *In Turri Chori S. Vdalrici.*

VI.

Gentilicio stemmate vita moribusque nobilis Karolus Wypfeld Eustettensis Ecclesiae Canonicus

nicus conditorio hoc ſitus eſt. Obiit MCCCC XCI. XV. Kls Iulias.

VII.

Venerandae Vetuſtati. Imp. Caeſ. Maximilianus Aug. Cineres & Oſſa Rom. apud Leibnicum effoſſa huc reponi iuſſit Ann. M. D.VI. XII. Kls Maii. ****)

****) *Graecii ad Ollas & Cineres, quos Leibnici effodimus.*

